CHRIST. MOLINARII
AUGUSTALIS AULÆ MEDICI

DE

MILIARIUM EXANTHEMATUM
INDOLE ET TRACTATIONE DISQUISITIO.



VINDOBONÆ,

SUMPTIBUS HERMANNI JOSEPHI KRÜCHTEN.

MDCCLXIV.

AUCTOR LECTORIBUS.

S. P.

In morbis, qui popularium noſtrorum animos terrore percellunt, non poſtremum locum habet ille, cui miliarium exanthematum nomen eſt inditum. Aſpredo enim iſta cutis, ſive albicans ſit, ſive rubens, ſive utriusque generis, haud raro plurium acutiſſimarum febrium eſt comes, præcipue in puerperis. Cumque vulgus nequeat e conjunctis ſæpenumero aliis feralium febrium ſymptomatibus reputare naturam ſævitiemque ejus morbi, quo miſellæ iſtæ lamentabiliter excruciantur, pronum eſt, ut putet necem, ſi quando eæ obeunt, fuiſſe a ſolis, utpote ſub oculos cadentibus exanthematibus illatam. Atque eo majore quisque metu concutitur, quod e concer-

 tatio-

tationibus, quæ de peſtis hujus indole inter medicorum filios fervent, nemo jam fere eſt, qui ſibi non perſuaſerit, ejus quoque tractationem adhucdum eſſe non ſatis perſpectam confirmatamque. Cum itaque jam diu in eo ſim, ut illud temporis, quod mihi quotidiana artis exercitatio reliquum facit, impendam in enarrandis ſingularibus quibusdam curationibus, illuſtrandisque, opportunitate inde ſumta, rebus iis, quæ in arte facienda ſolent Tironum mentes ambiguas reddere, cenſui me operam non male collocaturum, ſi quid de morbo hoc & ego commentarer.

Ex ea quippe diſciplina me eſſe profiteor, quæ putat veram artis noſtræ pertractandæ amplificandæque rationem eſſe tantum illam, quam ab Hippocrate ſapienter inſtitutam ſummus Verulamius in univerſæ naturæ inveſtiga-

ſtigatione adhibendam cenſuit. Cauſſas vero, propter quas cuiquam velim vel favere, vel adverſari, profecto nullas habeo.

Igitur ut in ægrorum curatione diligentiam induſtriamque meam conferens ad obſervandum experiundumque, contineo mentem, ne ſubdola ratiocinandi titillatione hac illac diſtracta, ultra naturæ limites divagetur; ita dum litteris quid mando, religioni duco vel tantisper diſcedere ab eo, quod diuturnis ſæpiusque a me in populoſa hac Imperii ſede repetitis experimentis conſentire deprehenderim.

Neque unquam Disquiſitionem iſthanc ſejunctim, & ab Opere, quod elaboro avulſam emiſiſſem, ut nunc facio, niſi probatorum quorundam in arte virorum auctoritas interceſſiſſet, quibus


viſum eſt eam poſſe hac forma eſſe non prorſus inutilem.

Spero propterea Tirones, quorum commodis labores meos omnes, qualescunque ii ſint, ſacratos volo, aliquid gratiæ fortaſſe mihi habituros. Quod ſi ſecus evenerit, id certe boni ab Opellæ hujus evulgatione reportabo, quod ex ejus fato datum mihi erit intelligere, interſit ne Reipublicæ utrum animum ad perficiendas inchoatas lucubrationes, quas aſſiduæ occupationes remorantur adjungam, an aliorſum convertam. Quandoquidem non dubitaverim, ſtudium ſaltem, quo teneor, bene de humano genere, ſine cujusquam offenſione, merendi, probatum iri.

Valete.

Vindobonæ Eid. Jun. 1764.

DIS-



DISQUISITIONIS DE MILIARIUM EXANTHEMATUM INDOLE ET TRACTATIONE.

PARS I.

§. I.

Celebre eſt in Germanicis terris, & non Medicis ſolum, ſed ipſis quoque mulierculis notiſſimum exanthematum illorum genus, quæ ſive rubra ſint, ſive alba, milium referunt,

unde appellantur miliaria, & acutissime febrientium cum virorum, tum mulierum præsertim puerperarum cutem totam inficiunt.

Historiam hujus morbi ab Anno superioris Sæculi 1652. cum primum Lipsiæ, adnotante GODEFRIDO WELSCHIO, pullulavit, Doctissimi plures Professores, quos inter excellit HOFFMANNUS, diligentia tanta conscripserunt, ut inanem me laborem susccepturum arbitrarer, si eam hic iterum vellem contexere.

Neque enim Opellæ huic animum eo consilio admovi, ut singula quæ ad hujuscemodi purpuratas ut vocant Febres pertinent, explanarem: sed ut quædam quæ ad earum indolem penitius dignoscendam, curationemque recte instituendam fortasse inutilia haud sunt, panderem Tironibus, quorum

emo-

emolumentis quantum in me eſt proſpectum volo.

Paucis ergo quæſtionibus disquiſitio noſtra definietur.

Et primò: agitabimus, utrum puerperis præprimis & facile accidat, ut Febri hac afficiantur, tum liceatne iis, ſiquidem miliaribus jam inquinentur, ſanguinem, & quo tempore ducere?

Secundò: inveſtigabimus, ſintne aliquæ notæ, quibus exanthematum iſtorum idoles critica ne ſit, an ſymptomatica, diſcernatur?

Tertio: quæremus, an hic loci febres, quæ exanthematicæ purpuratæ miliaresve dicuntur, invadant præter puerperas, alios cujuscunque ætatis ſexusque homines, frequentiusque graſſentur? Erumpantne miliaria certis in morbis, ſintque rarius vel frequentius critica, an ſymptomatica?

Tandem quarto: in universa Disquisitione prout sese occasio tulerit dispiciemus, an adhibitis opportune venæ sectionibus, purgationibus, vesicatoriis, aliisque pravos humores exturbantibus artis præsidiis præcaveri efflorescentia isthæc possit? Quod si hoc pacto datum mihi erit lucem aliquam accendere, cujus ductu res isthæc satis per sese implexa illustretur, gratulabor mihi summopere.

§. II.

Non enim ego controversiam ullam hac de re doctos inter celebresque viros movere contendo. Nam natura & ingenio ab hujusmodi concertationibus abhorreo, & insuper arbitror laborum studiorumque fructus, dum prodeunt in lucem, non debere vel animos exasperare, vel diuturna dissi-

dia

dia ciere, quæ nil, nisi odium pariunt, & lites serunt molestissimas: hinc cuncta, quæ indies attentius experior, summo animi candore in Tironum gratiam enarrabo, ut hi mente pacata edocti, firmisque artis fundamentis innixi, medicinam tuto, jucunde, sineque partium studiis in populi utilitatem exerceant.

Quapropter ea, quæ a decem & septem annis isthic loci cum in urbe, tum in suburbiis observavimus, relaturi sumus.

Ac ut propositum ordinem sequamur, disquirendum statim nobis est, an puerperis, quas febris acuta miliaribus albis, aut rubris simul erumpentibus detinet, liceat sanguinem detrahere, & quo tempore id sit præstandum.

§. III.

§. III.

Miliaria ſiquidem rubra aut alba quocunque tempore in puerperis prodeant, putat vulgus a natura criſim moliente propelli: hinc non modo ab obſtetricibus mulierculisque, verum etiam a medicis quibusdam peſtiferum exiſtimatur, mulieribus in hoc ſtatu conſtitutis ſanguinem educere, propterea quod exanthematum receſſus ab iis metuitur.

Ut vero rem hanc penitius diſcutiamus, bina ſolvenda nobis ſeſe offerunt problemata.

Primum eſt, an ſanguis in puerperis febri miliari rubra aut alba correptis, ubi protinus purpura prodit vel ubi hæc a quocunque errore commiſſo ſponte evaneſcit, educendus ſit?

Alterum, an, ubi purpura, etſi critice pullulans comparet, adeſtque

cauſſa

caussa quædam, quæ venæ sectionem requirit, ita ut debeat cruor e venis detrahi, verum sit hujus detractione crisim inhiberi, an potius id præstet, ut non modo perfectior crisis fiat, sed etiam morbi sævities, quæ sese crebrius per varia ferociaque symptomata manifestat, sedetur?

Tironibus enim sunt isthæc summopere scitu necessaria, ne ignorantia temeritateve sua miseras mulieres a partus tormentis satis superque dilaniatas interficiant.

Priusquam vero mentem nostram super hac re explanemus, consideranda probe ea sunt, quæ hac de re celeberrimi nostrates medici cum primum Germaniam nostram morbus hic invasit, censuerunt.

§. IV.

§. IV.

GODEFRIDUS WELSCHIUS, qui *hiſtoriam medicam novum puerperarum morbum continentem* elapſo ſæculo ſcripſit, ſic inquit: (a) „ an conve-
„ niat venæ ſectio dubium eſſe non
„ miror; patiens enim, cui vena ſe-
„ canda, puerpera eſt, quam caute,
„ imo religioſe tractare & curare ſum-
„ ma urget neceſſitas; quippe cui in
„ partu, per vaſorum uteri, quibus
„ fœtus retinebatur, & nutriebatur,
„ diſruptionem, alias copioſus profu-
„ ſus eſt ſanguis, poſt partum conſue-
„ ta ſanguinis per dies aliquot ſucce-
„ dit purgatio. Puerpera inſuper ex
„ habitis in partu conatibus infirma
„ eſt, ac debilis; ſpiritus diſſipantur
„ cum

(a) Godfrid. Welſch. Hiſtor. medic. nov. puerperar. morb. contin. Lipſiæ XX. April. 1655. inter Diſput. ad morb. Hiſtor. & curat. facient. quas Albertus Haller vir Clariſſ. collegit & recenſuit Tom. V. Febr. pag. 477. Thes. LXXV.

„ cum ſanguine; vires proſternuntur;
„ recens nato infanti ſecta vena ali-
„ mentum detrahitur; lac imminui-
„ tur; accedit quod hoc ipſum reme-
„ dium in curatione febrium maligna-
„ rum in genere, raro, & nonniſi cum
„ maxima præcautione adhibendum
„ eſſe, ſtatuatur a multis; & ſi quæ
„ ſunt alia, quæ venæ ſectionem puer-
„ peris non permittere, ſed diſſuade-
„ re videtur.

In theſi vero ſequenti ſcribit, indicio opus eſſe bono, & accurata omnium circumſtantiarum conſideratione; eſto enim ſanguis in partu & poſt partum profluat, ſitque puerpera poſt partum infirma; exinde tamen arbitratur ipſe non ſtatim ſequi has ſanguinis purgationes, & puerperæ ex partu præcedenti infirmitatem ita ſemper & in omnibus urgere, ut vel ipſæ opem po-

ſtulens

ſtulent, vel venæ ſectionem in caſu neceſſitatis non permittant; ait enim purgationes haſce naturaliter ſuccedere, infirmitatem vero defatigationem potius quamdam eſſe, qualis laſſis a labore quocunque ſolent contingere. Tum ſubdit venæ ſectionem in curatione febrium malignarum, quamvis a multis non concedatur, concedi tamen á plurimis: ideoque nihili facienda eſſe, quæ de ſpirituum ſecta vena diſſipatione, de virium proſtratione, de alimenti recenter nato infanti detractione, deque lactis imminutione jactantur; propterea quod lœſiones iſtas ab intempeſtiva tantum inconvenienti, & immodica, non vero ab ea, quæ prudenter, circumſpecte, caute, & religioſe in puerperis celebratur, venæ ſectione metuendas eſſe arbitratur.

Quod

Quod ut confirmet, affert documenta Petri a Castro de febribus malignis mentionem facientis, qui ita loquitur: „ Summa proinde si ex sedula
„ circumstantiarum collectione adhi-
„ beatur circumspectio & sanguinis in-
„ primis, abundantia, virium conditio,
„ ac tempus morbi, permittere venæ
„ sectionem videantur, sane non ca-
„ pio, cur puerperæ febre maligna
„ miliari correptæ venam secare non
„ liceat? sed existimo potius statim
„ detrahendum esse per venam sectam
„ sanguinem, & maxime quantum
„ fieri potest, ab initio. Est enim hæc
„ operatio tanti momenti, ut illa ne-
„ glecta, vix faustum eventum in hac
„ febre nobis liceat sperare, quantum-
„ cunque blateret indoctum vulgus,
„ cujus perniciosa petulantia licentiam
„ in hoc sibi arripit peritiorum etiam

„ Medicorum operationes taxandi, ac
„ coercendi; non vos iſta deterreant,
„ & a recto medendi tramite latum
„ unguem avertant. Extrahite in
„ principio alacriter ſanguinem pro
„ plenitudinis & virium ratione; ſum-
„ matim vero ad quartum.

§. V.

Nec diverſa a Welſchio ratione loquitur Godefridus Salzmannus in hiſtoria purpuræ miliaris albæ præprimis Argentoratum & viciniam Anno hujus ſæculi 34. infeſtantis, (b) in qua plurima, quæ ad morbi hujus curationem, & præcipue de ſanguinis detractione utilia monita continentur.

Hic enim, qui biennio poſt hiſtoriam hujus morbi ſcripſit, narrat clinicorum quamplurimos in hoc morbi gene-

(b) In eadem Halleri collectione.

genere, quantum ad ſanguinis detra-ctionem, in diverſas abiiſſe ſententias, cum a quibusdam ea laudaretur, ab aliis contra vituperaretur.

Quosdam vero fuiſſe, qui non mo-do circa hujus morbi initia, verum & in augmento, imo & exanthematibus jam apparentibus, venæ ſectionem ad-miniſtrari juberent, vanum illum de-ponentes metum, miasma nempe a corporis peripheria hac curatione ad inferiora vocari, quod auctoritate Gal-lici Medici Porchon in tractatu de pur-pura, morbillis, & variolis confirmat.

Poſtquam ergo quamplurium au-ctorum de venæ ſectionis utilitate vel noxa diſputantium ſententias retuliſſet, proprias animadverſiones ſubjicit, in-quiens requiri in hoc morbi genere ſanguinis detractionem, ubi corpus in-ſigniter plethoricum eſt, ubi quis huic

 vacua-

vacuationi a longo tempore aſſuevit; ubi morbus in tempus æquinoctiale, quo alias ea inſtitui ſolebat, incidit; ubi vel magis febrilis impetus, quam malignitatis ſuſcipio eſt; vel nota ſanguinis potius concreti, quam fuſi; vel hæmorrhagiæ præſentis, aut inſtantis metus; vel imminentis inflammationis, aut jam factæ indicium; vel morbus pleuritidis aut peripneumoniæ ſpeciem præſeferens; vel denique ſanguinis evacuationes naturales ſuppreſſæ, aut artificiales ab aliquo tempore neglectæ.

A ſanguinis vero detractione abſtinendum, ſi vires exhauſtæ vacillant, e quarum lapſu vult, ut recte morbi malignitas emetiatur. Tum in morbi progreſſu & quidem maxime circa dies criticos & poſt papularum eruptionem, cum nempe habitus cutis laxior, & tranſpiratio facta eſt liberior. At neque

que ubi copiosi sudores promanant, ubi malignitas magna est, cum hæc potentior evadat.

Porro videri eam noxiam, ubi copia non abundat, nec sanguis tenaciter cohæret, imo ita comparatus sit, ut cum summo virium lapsu liquefactus protinus diffluat. Concludit is tandem sanguinis missionem in eo affectu, in quo sanguinis coacti potius, quam resoluti metus est, in quo lympha etiam lenta est atque viscida, certis sub cautelis administratam non modo non noxiam, sed & summopere utilem extitisse: in quam rem adducit celebrem Anglum Medicum With, qui ea de causa illam suadebat, quod apta esset ad febrium malignarum caussam, quæ suo judicio plethora est, indeque pendens lentor & humorum visciditas,

amoliendam; (c) ex quo conjiciebat præcavendæ inflammationi nihil esse potentius sanguinis eductione.

§. VI.

Huic quoque sententiæ adhæret celebris Hoffmannus, qui de febre purpurata (d) atque de purpuræ genuinæ origine, indole, & curatione scribens fatetur, sanguinis missionem in puerperis esse non modo utilem, verum & prorsus necessariam.

Nam observatione sexta (e) historiam puerperæ febre purpurata laborantis, quam venæ sectio servavit, enarrat.

Cum enim spasmis artuum & abdominis vexaretur fuit purpura evanescente, anxietatibus summis oppressa, &

(c) Eodem Halleri Tomo pag. 536. Thes. 26.
(d) Tom. IV. de Febribus pag. 219.
(e) Ibid. pag. 220. & seq.

& propter magnas corporis jactationes non modo quandoque desipiebat, sed & subinde animo defecit.

At vena in brachio tusa, præcordiorum anxietas, cunctaque alia symptomata declinarunt, ipsa ad se rediit, & postquam corpore toto concaluit maduitque, oppleta est iterum copiosa purpura, quæ congrue depulsa, locum sanitati fecit.

§. VII.

Icciroo is monet, sanguinem, ubi imminentis purpuræ eruptionis indicium est, non esse detrahendum: incidere vero plures casus, ubi hoc etiam tempore cruoris eductio sit necessaria. Ait enim fieri nonnunquam, ut lochiis restitantibus, aut parcius justo fluentibus sanguis redundans urgeatur cum impetu ob spasmos in abdomine con-

geraturque ad cor ac cerebrum, ubi atrocia & lethifera suscitat symptomata, quæ perperam vulgo retrocessioni materiæ exanthematicæ tribuuntur: hinc si per venæ sectionem sanguis superfluus subtrahitur, cessant illico pathemata, & liberiore, ac æquabili reddito circuitu expeditius eruptio summo cum levamine succedit.

§. VIII.

Postquam ergo illustrium virorum de hoc morbo agentium, & præcipue in variis Germaniæ terris medicinam factitantium sententias exposuimus, sententiam quoque nostram candide explanabimus.

Ex iis, qui in regionibus nostris medicam artem exercent, vix unus erit, qui plurium annorum curriculo in puerperis exanthemata miliaria sive alba,

ba, ſive rubra non animadverterit. Id profecto perſpectum eſt: at remanet ſcrutandum, num exanthemata hæc ſeu potius efflorеſcentiæ febri acutæ conjunctæ, & eadem poſt partum comitante febri, pullulantes, producantur, foveanturque naturæ vi, an morbi ingenio, an febris acutæ impetu: deinde an expediat ſanguinem mulieribus febre purpurata acuta in puerperio detentis educere.

§. IX.

Tribuit Hoffmannus (f) frequentiorem purpuræ exortum iis, quibus alvus adſtricta, perſpirationis nulla cura, criticæ, aut conſuetæ ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ, aut prorſus prætermiſſæ, ſanguis largius vel efflu-

 xit,

(f) Med. Rational. Syſtem. Tom. IV. Cap. IX. de Febre purpurata rubra & alba miliari §. 10. pag. 207.

xit, vel ſubtractus cum virium defectu eſt, quibus animus ſæpenumero jactatione, mœrore, diuturnaque ſollicitudine angitur; quibus nimiis vigiliis intenſioribusque meditationibus robur corporis attritum eſt, iis tandem, quæ otioſo motusque experte vitæ genere torpeſcunt.

Cenſet inſuper laxiorem corporis habitum, quem ſanguineum alias aut phlegmaticum nuncupant, non eſſe ab his noxis immunem. Quoad ætatem vero infantes magis, quam adultos, ſenes, quam floridos: quoad ſexum, fœminas magis, quam viros hoc malo tentari. E mulieribus vero non tam plebeas minusque delicatas, quam potius teneras ac nobiliores fluore albo affectas, nec non omnium maxime puerperas.

Addit

Addit purpuram albam puerperis ob peculiares caussas quam maxime malignam esse, & infensissimam: eo quod fœminarum plurimæ lymphaticis aquosisque humoribus abundent, & in gravidarum utero sanguinis circuitus ob nimium appulsum vasorumque distentionem languidus valde tardusque sit: quapropter facile humores corrumpi, qui febre demum lactea accedente resumti ad vasa majora cordique proxima deferuntur.

Quæ cum ita sint, statuendum est cum ex Hoffmanni, tum ex aliorum æque in arte præstantium virorum auctoritate, esse observatum sanguinem febre miliari oppressis educere, dum ipsa & exanthemata erumpunt non solum utile, sed necessarium.

§. X.

§. X.

Jam vero, ut problemata a nobis ſuperius propoſita ſolvantur, diſquirendum, an in hac quoque regione, ubi medicinam facimus, febre miliari alba, aut rubra vexatis, præcipue vero puerperis, purpura comparente, aut ubi hæc a quocunque errore commiſſo ſponte evaneſcit idem quoque effici impune poſſit?

Tum, an, ubi purpura etſi critica pullulans adſit queat impellente quadam venæ ſectionem poſcente cauſſa id præſtari, utrumve criſis hac re impediatur, an potius laudabilior perfectiorque fiat, & morbi ferocia leniatur?

Juvat autem hic quoque antequam hæc pertractemus, pauca, ſiquidem doctorum hominum concertationes reddiderunt rem valde impeditam, præfari.

Nolim

Nolim vero quis credat, velle nos litem movere, an in Germania præcipueque in Auſtriacis terris febris, quam vocant miliarem, puerperas infeſtet? Id certum nempe eſt ab Hoffmanno, ut vidimus, aliisque Clariſſimis viris febrim miliarem inter morbos puerperarum referri ob ingentem ut plurimum uterinam colluviem cum graviditatis tempore, tum poſt partum ſuppreſſis a quacunque cauſſa lochiis, retentam.

Nuper vero Illuſtris Taurinenſis Medicus Allionius in libello de miliarium origine, progreſſu, natura, diſcrimine & curatione, affirmat eo quoque loci hanc obſervari. Cumque miliaris, ut ipſe putat, miasmatis proprietates diligentius exponendas ſibi ſumat, narrat, (g) hominum hoc morbo

(g) Cap. VIII. pag. 65. No. 137.

bo ereptorum cadavera cito & intolerabiliter fœtere, atque intumescere; calorem tenacissime servare, e naribus vero crebrius vehementer sanguinem fundere.

Refert insuper Joannem Baptistam Blancum Anatomes Professoribus probe notum, in mulieribus purpura defunctis quandoque uterum aliquo loco inflammatum invenisse, mortis caussa scalpelli aciem effugiente; quin ipsemet, cum hominem simplicissimo miliari morbo sublatum anatomica dissectione perlustrasset, inquit, nihil se præter venosa capitis vasa quam maxime sanguine distenta reperisse.

§. XI.

Sint ergo ævo nostro febres miliares in variis regionibus Endemii morbi, ne controversiam inutilem conciternus.

Ast

Aſt, ſi quis cauſſas conſiderarit, cur quandoque (nam ratione habita ad numeroſiſſimum populum, cui medicinam facimus, rarius hunc morbum animadvertimus) in puerperis miliaria obſerventur, facile intelliget, an venæ ſectioni in exanthematica harum febri locus ſit: imo cur ſumma cruorem detrahendi neceſſitas exiſtentibus jam ipſis in cute miliaribus ad id impellat.

Attamen ne ii, quibus ſcribimus, conquerantur, non ſuppeditari ſibi a nobis ſatis claram lucem, qua cum ad ægrorum lectulos accedunt, percipiant dilucide, qua ratione ſe gerant, ponam illis ob oculos, quæ a decem & ſeptem annis in hiſce regionibus experiundo perdidici.

§. XII.

Talis eſt cœli noſtris in terris temperies ac viciſſitudo, ut corpora facile

variis

variis diversisque modis afficiantur. Nam cum aëri eundem statum nunquam servanti subjiciamur, & fibris utamur laxioribus, & vitam lautiorem ducamus, immutamur quam facillime, omnibusque iis noxis, quæ ab aëris alteratione cohibitaque sensus effugiente transpiratione immortalis memoriæ vir Sanctorius progigni observavit.

Addas velim aquarum nostrarum indolem, quæ nec purissimæ sunt, nec levissimæ, imo decoctæ crassis utplurimum obducunt vasa crustis, quo nomine a Plinio (h) prorsus damnantur.

Accedit, cum de mulierum affectione miliari verba fiunt, otiosa earum & præprimis sedentaria vita, qua ut tempus fallant diu noctuque incrassantibus potubus sua viscera inferciunt, saginantque: quo fit, ut eæ plurimis mor-

(h) Histor. natur. Lib. XXXI. Cap. 3.

morbis frequentius hic, ac alibi, infeſtentur. Nam aut graviditatis tempore, aut poſt ipſum partum febribus ſæpenumero acutiſſimis, quas quandoque miliaria comitantur, obnoxiæ ſunt.

Quod mirum non eſt: quis enim ignorat corpora iis de cauſſis ingenti colluvie referta non modo acutis febribus corripi, quod tum de mulieribus gravidis, tum de puerperis dictum volumus, verum & exanthematibus varii generis vexari?

Utrum vero cutaneæ iſthæc eruptiones debeantur utplurimum perverſæ medendi methodo, non mihi ſumam dijudicandum. Illud dixerim, me vidiſſe pluries ægros ſolis antiphlogiſticis medicaminibus tractatos minusque ferventi ac antea aëri commiſſos, miliaribus nihilominus infectos.

Animadverti quoque ſimilia mala poſſe præcaveri cum in puerperarum febribus acutis, tum in aliis continuis valentiſſimisque febribus, ubi præcipue corrupta morbum faciens colluvies, detracto antea profuſius ſanguine ſubduceretur per alvum lenioribus pharmacis.

Obſervavi item aliquoties miliaria, ubi in acutiſſimis febribus aliam ſimul criſim comitabantur, non eſſe prorſus contemnenda, in epidemico præcipue morbi ſtatu, ſi lympha præſertim craſſiori ſcatent corpora; cum aliis vero criticis excretionibus purpurata exanthemata eſſe colenda, ne regreſſa ad vitalia viſcera morboſa colluvies, ægrum interimat.

§. XIII.

Porro fecimus ſæpiſſime medicinam ægris, qui jam exanthematibus referti

erant.

erant. Haud enim raro accidit, ut ob nimium febrilem impetum materies morbosa, sive subtilissimum hoc miliarium, ut quidam ajunt, miasma sanguinem ipsum, aut lympham, aut serum inficiens in ea vasa transfundatur, quæ ipsis nec propria, nec apta sunt. Si ergo cruor serosa lymphaticaque vasa subierit, ob adauctum novi sanguinis per invalescentem solidorum attritum ad hæc impulsi momentum, rubra pullulare exanthemata necesse est: contra ac evenit, ubi serosa, lymphaticaque materie vasa cutanea alias insensibilia turgent: nam tunc mole istorum aucta pustulæ apparent, quæ e colore miliaria alba appellantur.

Quod si vasa isthæc tam sero, quam sanguine inferciuntur, emergunt utriusque generis miliaria, quæ si die critico non erumpunt, sed alio tempore

cum summa febris intensione comparent, non modo ingentem humorum colluviem morbique malignitatem summam, sed & vim vitæ adauctam, tum solidorum in fluida, & fluidorum in solida attritum maximum sæpenumero denotant. Mirum igitur non est in corporibus præcipue crassioribus per insensibilem cohibitam perspirationem, crispata totius corporis peripheriæ epidermide, & ob novam continuo affluentium humorum copiam detensa, prodire varii generis exanthemata.

§. XIV.

Sed hac de re satis. Itaque ex iis, quæ recensuimus, patescet opinor, an puerperæ, in quarum utero sæpius magna, suppressis præcipue lochiis, aut minori copia profluentibus, putrida coacervatur colluvies, hæcque sanguini

com-

commixta illuc, quo vehementius natura impellit, congeritur, & quaquaversum sese diffundit, hisce morbis obnoxiæ sint.

Morbosa quidem isthæc materia, si in uterinis a quacunque externa aut interna caussa constrictis vasis continetur, nec per consuetum iter, quod lochia persolvunt, expellitur, movet concitata febre inflammationem uteri; si vero, occlusis uterinis canalibus, a sanguineo ut ita dicam torrente abrepta caput petit, procreat deliria, convulsiones, insomnia, vigilias, ipsamque phrenitidem.

At si sanguini toti perfusa est, febrim acutam malignamque excitat, qua corpus ob nimium æstum extorretur; vel vitæ vires, Sanctoriana perspiratione ab aëre frigidiori incaute admisso cohibita, ob refluentem humorum co-

piam opprimuntur; Quod ſi hac ſeſe iterum ex ſerunt, impetumque, dummodo adhuc vigeant, faciunt, ſanguinis aliorumque humidorum circuitus adeo acceleratur, atque eousque deducitur, ut ſanguis in ea vaſa per cordis impulſum transfundatur, quæ lymphæ aut ſero accomodata ſunt.

Quapropter ille in his conſiſtens, puſtulas, papulas, variique generis exanthemata, quæ a medicis miliaria, ratione coloris & humoris alba, aut rubra nuncupantur, efformat, per inſenſibilia vaſa ſeſe diffundens.

§. XV.

Liquet igitur in puerperis præcipue febre acuta correptis poſſe miliaria cum ob morbi acutiem ingentemque materiei morboſæ copiam, tum ob vehementiſſimum febrilem impetum ſymptoma-

ptomatice produci foverique. At non negamus posse ea quandoque, ubi morbosi humores concocti sunt, prorumpere vi naturæ vel critice, vel criticis aliis excretionibus simul juncta cum ægri & levamine & salute.

Quæ cum ita sint, nemo ambiget, utrum puerperis febre acuta miliari detentis sanguis mittendus sit? Neque in discernendo tempore, quo id præstandum sit, multum est difficultatis.

Nam si mulieri puerperæ post partum subito, quod nobis crebrius videre contigit, incaute ab obstetricibus ipsis, aliave mulierum exsultante, prolemque admirante turba derelictæ, postque tot tantosque partus labores sudore ingenti perfusæ, aër frigidiusculus non modo corporis totius peripheriæ, sed & in uterum ob non velata pudenda intromittitur; illa protinus

ob cohibitos ſudores cohorret, & ſanguis, qui detracta ab utero placenta ex uterinorum vaſorum apertis alias oſculis profundi ſolet, conſiſtit, unde febri valentiſſima ſuccenſa, venter intumeſcit, tympanique ad inſtar intenditur, & uterus inflammatur.

§. XVI.

Quis autem non videt, nullam dum iſthæc adſunt eſſe moram interponendam, quominus incidatur vena brachii, & ſiquidem altera tertiave ſanguinis miſſione opus ſit, tundantur cum brachiis pedes. Nam ſi ſanguis e vaſis ſuis pleno gurgite profluens conſtricto uteri ore in ejusdem cavo cogitur, atque ibi computreſcit, febrim, & inflammationem auget; ſique is, qui proxime e turgidorum vaſorum oris ſtillaturus erat, his contractis impetuoſius recedit, tum ad pectus, tum ad caput majori

jori, quam par eſt copia defertur. Si vero lochia in utero clauſo concreta putruere, vel ichor, vel ſanies reſumta, perque varias vias furſum quoque compulſa quaquaverſum ſeſe diffundit, vitalia viſcera male mulctat, atque inficit.

§. XVII.

Adde mulierum quasdam vel tertia vel quarta alias vero citius, aut tardius impletis uberiori humorum affluxu mammis, lactea, quam vocant, febri infeſtari; quantis igitur neceſſe eſt pectoris oppreſſionibus, anxietatibus, ſimilibusque aliis noxis eas ſæpenumero pertentari, quæ ſimul caput turbant, totumque ſyſtema nervoſum ſæpenumero convellunt?

§. XVIII.

Nonne ergo manifeſtum eſt, debere medicum turbas haſce compeſcere,

quin & prævertere, quod niſi promta ſanguinis detractione nequit efficere. Quid enim expectabit? Num, ut inde oriantur febres, deliria, phrenitides, ſuffocationes, lipothymiæ, nervorum diſtentiones, miliaria alba & rubra, ut poſterius oſtendemus, uteri abſceſſus, durities, ſcirrhi, cancri, hydropes, reliquæque peſtes, quas nemo neſcit venæ ſectionibus, præſidiis ut vocant revulſivis, leniſſimisque purgantibus præpediri.

Quid autem mirum, ſi ubi tanta uteri colluvies ad vitalia viſcera defertur, præſertim non reſeratis imis ſedibus putrilagine & ipſis refertis, illud materiei, quod ſupervacuum cum ſit, viſcera vitalia opprimit, depellatur, vel per valentiorem vitæ vim, quam naturæ criticum motum vocitant, vel per febrilem impetum, quem fieri per

soli-

ſolidorum fluidorumque mutuum attritum, Medici contendunt, ad corporis peripheriam, hincque aut per cutis cribrum ſub ſudoris forma promanet; aut ultra cutim ſubeat, ibique conſiſtens, cuticulam in puſtulas modo albas, modo rubras, quæ alba aut rubra miliaria, ſive exanthemata dicuntur, elevet?

§. XIX.

Experientia itaque nixi, remur, poſſe nos illud, quod per vim vitæ ad cutim cum ægri levamine ipſis gravioribus ſymptomatibus recedentibus, propellitur, cenſere criticum; id vero, quod ob ingentem corruptorum humorum copiam violenta febris, attritione perniciofisque ipſis ſymptomatibus non perſiſtentibus tantum, ſed & increbeſcentibus apparet in cute, judicare

care ſymptomaticum? Ne vero in hac judicatione, quæ paulo difficilior eſt, erremus, quæ criticam eruptionem a ſymptomatica diſcriminent ſigna, perpendemus.

§. XX.

Et quidem criticam eam eſſe dicemus, quandocunque exanthemata utriusque generis abunde erumpunt, & quæ anteceſſere moleſta ſymptomata eruptione indies inſenſibiliter adaucta, decreſcunt.

Hanc vero hæ prænunciant notæ: laſſitudo, gravitasque membrorum ſumma, corpore per intervalla inhorreſcente, calor magnus ſubſequens cum reſpiratione difficili & anxia, tum ab Hoffmanno non adnotata, a nobis vero creberrime obſervata tuſſicula moleſta ſiccaque, quæ eo pacto, ac in

mor-

morbillis multum urget, materie morbosa pulmones infarctos indicans. Item alvus stricta, virium dejectio summa, deliquiis animi stipata, sitis intensa, fauces aridæ, dolor in dorso tensivus, acutus, punctorius, caput præhendens, cui vel sopor, vel delirium sæpenumero adjungitur. Quibus diebus miliarium eruptio contingat, definiri nequit: quod enim Hoffmannus de tertia, aut quarta pronunciat, perpetuum non est. Variis enim ea erupisse morbi temporibus conspeximus, præsertim, cum hæc alios morbos subsequuntur: nam & Hoffmannus ipse septimo nonoque etiam die illa apparere affirmat, & haud raro ægros pertinacissimo morbo afflictos, ab iis vigesimo trigesimoque critice prodeuntibus levatos esse, dicemus inferius.

§. XXI.

§. XXI.

Eruptionem indicant præceduntque pruritus ardorque ſummus prævia ſenſibili rubedine cutim afficiens: in pectore, collo, dorſo, tum in aliis corporis ſedibus tubercula perquam exigua rubra prodeunt, ſemen milii figura & magnitudine referentia, cute reddita aſpera anſerinæ adinſtar: ſi alba ſunt, puſtulas diaphanas, albicantes, limpidiſſimo ſero turgidas repræſentant, quas totum quandoque corpus replere, inque tantam magnitudinem excreſcere conſpeximus, ut varioloſas veſiculas ichore plenas æquarent ſeque mutuo contingerent.

§. XXII.

At id, quod critice exanthemata iſthæc pullulare palam facit, eſt, quod hoc morbi ſtatu graviora ſymptomata

utplu-

utplurimum ſubſident, ſenſimque evaneſcunt; delirium puta, ſoporque profundus; Pulſus, qui parvus, compreſſus, intermittensque erat, fit magnus, æqualis, mollior; Cutis antea arida madeſcit, tuſſis ſedatur; totum ſudore plus minusve copioſo corpus perfunditur, qui ſingularem plane fœtorem ab Hoffmanno acido auſterum, & vappidum nuncupatum, præſefert. Imo antequam ipſa miliarium eruptio fiat, ſimile quid e laxatis jamjam cutis oſculis exhalat, ea ratione, ac in proditu ris morbillis variolisque deprehenditur, cum ſingularis, naresque feriens per totam cubilis atmoſphæram diſperſus fœtor ex ægri corpore erumpit.

Urina antea clara, aquoſaque profluit ſaturata magis, & turbida. Aliquot demum dierum ſpatio, tubercula hæc inſigniter prurientia ſquammu-

larum

larum adinſtar decidunt, vel quæ nimio ſero in pinguioribus præcipue corporibus turgebant, rumpuntur, effuſoque ſero acri, ægroque ad integritatem brevi poſt redeunte, exſiccantur.

§. XXIII.

Diſpiciamus nunc ſymptomatica, qua voce ea deſignamus exanthemata, quæ quoniam apparent crebrius conjuncta aliis excretionibus, criſibusque imperfectis, morbum, ut ſuo loco viſuri ſumus, concomitantibus critica nominari a peritis Medicis non queunt. Utpote, quæ & maligni morbi ſymptomata ſint, & lethale quid portendant utplurimum; tametſi ſunt, cum iis ex arte occurritur, haud ſemper mortifera.

Talia itaque habebuntur ſive rubra ea ſint, ſive alba, cum adeſt maligna

febris

febris, aut quicunque inflammatorius morbus suspectis utplurimum symptomatibus adjunctis, idque incertis, variisque morbi temporibus. Nam interdum primis statim diebus, ubi ingens febrilis impetus est, emergunt, quæ & ingentem humorum colluviem declarant, & pessimam morbi indolem denotant; interdum vero nonnisi circa morbi finem, ubi cunctis putrescentibus humoribus, æger perit.

Si ergo hæc prodeunt circa morbi initia pulsu existente duro, & celeri, & ubi nullus somnus est, sed magna inquietudo, & respiratio difficilis; ubi per totum morbi decursum sudores profusius manant, urinæ pallidæ, & copiosæ redduntur, vel continua mingendi cupido torquet, vel urina, quæ prius crassa, colorataque erat, mutatur subito in limpidam, tenuem, &

D palli-

pallidam, vel alvus cum torminibus abunde ſolvitur, quod in puerperis crebrius contingit, tunc maligni morbi ſobolem ea eſſe colligitur.

§. XXIV.

Peſſimi quoque ominis, exitiumque portendentia ea videntur, quæ modo efflorescunt, modo diſparent, pertinaciter inhæreſcentibus ſymptomatibus aliis, quæ ingentem materiæ morboſæ quantitatem, humorumque putredinem denotant.

Tum tantum abeſt, ut criticum haberi poſſit, quin & ſumme peſtiferum invenimus illud, cum maligna miliarium materies repulſa iterum interiora viſcera, pulmones præcipue aggravat, non amplius ad exteriora reditura. Unde reſpirandi ſumma difficultas oritur, pectusque pondere magno opprimi,

fau-

faucesque adeo constringi videntur, ut instet ipsa suffocatio.

Nec critici quid sapere potest, si viribus ipsis decrescentibus materiei copia ingentem febrilem æstum excitans totum corpus occupat, ut non solum, quemadmodum binis in hominibus ante aliquot annos vidimus, extus maligna illa materies compareat, verum & intus viscera cuncta inferciat, atque corrumpat, haud aliter, ac conspicitur in cadaveribus eorum, quos variolæ pessimæ interfecerunt. Imo in his putrilago plurima, vermiumque ingens copia per alvum descendit, quæ mortem, quemadmodum non semel vidimus, brevi post prænunciant.

§. XXV.

Contingit quoque sub hoc morbi statu interiora corporis æstu torreri, extre-

extrema vero præ frigore extus rigeſcere, copioſoque, ac ſimul frigido ſudore corpus totum perfundi, idque viciſſim: Quæ cum adſunt, ægri utplurimum lipothymia oppreſſi, fatis cedunt ob ſummam viſcerum inflammationem in gangrænam ſphacelumque declinantem, quæ præprimis pulmones, ventriculum, cerebrum, ipſumque in puerperis uterum infeſtant.

Atque ex hiſce miliarium cum criticorum, tum ſymptomaticorum notis, non quidem ad arbitrium effictis, ſed plurima obſervatione animadverſis, conjicere licebit, cui puerperæ febre acuta miliari afflictæ ſanguis mittendus ſit.

§. XXVI.

Porro ſtatuendum eſt cum venæ ſectionis tempus, tum id, quod circumſpice-

ſpicere oportet, ne criſim, ſiquidem eruptio e criticis ſit, præpediamus, aut remoremur.

Ubi ergo puerperæ ob quascunque cauſſas e recenſitis lochia ſupprimuntur, febris magna exardeſcit, & reſpiratio fit gravior, ſanguis illico e pede detrahatur, quin ſi opus eſt, accedente præſertim delirio vena tundatur iterum: exortis vero ſummis ventris, uterique cruciatibus in brachio iterum inciſa vena, ſanguis, præmiſſis aliquoties emollientiſſimis intra hoc tempus alvi lotionibus, educatur.

Vires porro prius noſcendæ, æſtimandæque ſunt, ne defatigata a partu mulier, ut crebrius contingit, præ nimiis ſanguinis detractionibus peſſumdetur. Urgentibus vero ſymptomatibus, æſtimatisque viribus, ea ſubtrahatur cruoris copia, quæ febrim

temperare inflammationemque præpedire potis est. Atque a Tirone cavendum est, ne purpuræ prodituræ effigiem sibi ante oculos statuens officio suo desit, ita ut præ nimio purpuræ præpediendæ metu ægram prætermissis necessariis venæ sectionibus inflammari prorsus sinat, & tandem juguler.

Nam, ubi congrua sanguinis detractio fit, non modo periculosa symptomata profligantur, sed & crebrius lochiis profluentibus nullisque miliaribus comparentibus, mulier ingenti sudore perfusa, sanitati restituitur.

Necessariis vero neglectis venæ sectionibus, ipsis etiam miliaribus erumpentibus inflammato gangrænaque affecto utero, deliriis subortis, mulier convulsa, aut soporosa, ut aliquoties vidimus, fatis cedit.

Sanguine itaque debito tempore, nem-

nempe protinus circa morbi initia congruenter educto, non modo recensita mala, sed etiam ipsa exanthemata præpediri posse sœpenumero perspeximus.

§. XXVII.

Nec febris purpurata lochiis subsistentibus orta obstare debet, quo minus sanguis educatur: præcipue, cum plura urgentia periculosaque symptomata ægram afficiunt. Inquit enim Hoffmannus, (i) lochiis suppressis sanguinis detractionem in talo opportunissimam esse: ubi vero sanguis magno impetu ad caput fertur, satius esse ad phrenitidem arcendam e loco propinquiori sanguine misso impetum derivare: ipsique aliquot innotuisse exempla meminit, ubi lochiis suppressis purpurata febris cum gravissimis sym-

(i) Medic. System. Tom. IV. de febri uterina pag. 517. observ. VII.

ptomatibus, lipothymiis nempe, præcordiorumque anxietatibus mortem ipſam minitantibus, ſuborta eſt, quæ tamen e brachii venis educto, & a corde, & ab appenſis ipſi majoribus tubis derivato ſanguine mox per DEI gratiam diſcuſſa eſt.

§. XXVIII.

Plura hujuscemodi exanthematicæ febris exempla affere valeremus, verum, ne Longe nimis ſermonem trahamus, unica, ſingularique hiſtoria, quæ recentiſſima eſt, erimus contenti.

Primiparæ mulieri ſanguineæ temperiei vigeſimum ſextum annum agenti, perque plures ante partum ſeptimanas pertinaciſſima catarrhoſa defluxione cum tuſſi moleſtiſſima detentæ poſt laborioſum partum lochia, neſcio quanam de cauſſa, ſubſtiterunt. Magna

eam

eam protinus febris continua acuta, nec non respiratio difficillima, dolorque acerbissimus sinistrum costarum latus perstringens, afficiebant: tussi vero contumaci cum præcordiorum, totiusque pectoris gravitate ægra divexabatur. Malæ ei cum rubore tumebant, venæ temporum turgebant, oculi prominebant.

Lingua arescente, ingens erat cibi fastidium, frigidique cum fontis, tum aëris cupiditas; pulsus undosus modo, modo durus, magnus, celer, sæpe intermittens, intercurrebat lateris dolor, qui tussis continuæ impetu ingravescebat, quod per sputum extundebatur, spumosum erat. Vigiliæ continuæ, alvus ut plurimum densa. In tanta, tamque ominosa turba, purpura rubra albaque copiosissime per totum corpus dispergebatur

primis ipſis morbi diebus, nullo ſymptomatum recedente. In hoc ſtatu accitus ego, nihil præter mixturam, ut vocant pectoralem cum diaphoreticis pluribus adjectis præſcriptam inveni: quoniam exanthemata hæc exiſtimabantur critica.

Ego contra cognito, ægræ pulmones jam ante partum ob pertinaciſſimam tuſſim fuiſſe quam maxime defatigatos, ſuſpicatus ſum in ſanguine quid phlogiſtici dudum latuiſſe. Unde mirum mihi non videbatur e repentina lochiorum poſt partum ſuppreſſione ingentem febrim fuiſſe ſubortam, magnumque ſanguinis torrentem impetuoſius ad pectus affluxiſſe, unde pleuro-pneumonia exiſteret.

Hinc quomodo exiſtimare poteram exanthemata talibus ſymptomatibus ſtipata eſſe critica, quæ ægram brevi ſanarent?

narent? Decrevi itaque nullam iſtiusmodi eruptionis rationem habere; ſpeſtato enim cum prægreſſo, tum præſenti ſtatu morbi ſupervacuam cruoris copiam, unde pectus afficiebatur, credidi eſſe detrahendam.

Cum igitur ſanguis largiter e pedis vena, me jubente, miſſus, febrile incendium minime temperaſſet, volui, ut iterum e brachii venis educeretur: & profecto poſtquam ex iterata hac venæ ſectione decem unciæ effluxiſſent, periculoſa omnia ſymptomata declinarunt; ægra cepit liberius reſpirare, tuſſis imminuta eſt, ſenſim ſenſimque laudabile, concoctumque excreabatur; purpura vero tam rubra, quam alba, etſi alvus adſtrictiſſima, emollientiſſimis lotionibus infuſis crebrius ſolvebatur, nunquam diſparuit.

Tuſſis,

Tuſſis, quæ aliquando fiebat pertinacior, Laudano congrua doſi exhibito, ſedabatur; hæc erat nempe, quæ cochleatim ægræ propinabatur alternis horis mixtura.

℞. Specierum Diatragacanthi frigidi Drach. duas.
Stybii diaphoretici non abluti Drach. unam.
Aquæ Scabioſæ . . . Uncias octo.
inſtilla
Laudani liquidi . . Drachmam.
Syrupi Capillorum veneris . . . Unciam unam.

Cui dabatur ſuperbibenda radicis Althææ, foliorum florumque Malvæ & Bellidis decoctio, addito Diacodii, aut Capillorum veneris ad gratam dulcedinem ſyrupo. Potui vero erant emulſiones e Melonum ſeminibus, amyg-

amygdalisque dulcibus ſaccharo confectæ.

Atque his per plures dies exhibitis præſidiis factum eſt, ut lochia per copioſam cum ſputi laudabilis excretionem, tum per alvi clyſteribus emollientibus procuratam ſolutionem liberius, ſatisque profuſe manarint, exanthemata vero, ad quæ toto morbi curſu nunquam reſpectum habui, exaruerint percommode, unde ægra judicata ex integro eſt, remanente ſolummodo inani quadam tuſſicula aliquoties urgente, quæ tamen per diætam lacteam fuit facillimo negotio depulſa.

§. XXIX.

Ex hac hiſtoria ni fallor, patet, in puerperis miliaribus puſtulis infectis, præcipue cum lochia ſuppreſſa ſunt, ſangui-

ſanguinis miſſionem eſſe omnino neceſſariam.

Animadvertimus autem ſæpenumero exanthematum receſſionem, etſi detracto abunde ſanguine, ubi ingens febris ægros conficit, aut ſumma viſceris cujuscunque inflammatio eſt, nequaquam eſſe metuendam: tantumque abeſſe, ut per magnam etiam opii quantitatem, dummodo ſymptomata id exigant, lochia remorentur, aut prorſus ſupprimantur, ut potius opii uſu moleſtiſſimis, doloroſiſſimisque ſedatis ſymptomatibus, facilius profluant, quandoquidem nulli inflammationi, ut ſuo loco fuſius explanabitur, opium obfuiſſe, comperimus.

Miramur itaque Cl. Allionium de miliaribus ſcribentem (k) monuiſ-

ſe,

(k) Tract. de miliarium origine No. 331.

ſe, ut non ſine magna circumſpectione opium in miliaribus exhiberetur, cum ſæpius inquit ille noceat, quam proſit. Nec illi aſſentiri poſſumus, ajenti morbi indolem ad inflammationem eſſe proclivem a ſtatu, ut ipſe inquit, cutis in altera periodo inflammatoria: tum a capitis plenitudine opii uſum reſpui, convulſiones cum ex nervorum cutis irritatione tanquam ex ſpina cuti infixa pendeant, opii auxilio non tolli: in morbi vero tum complicatione, tum ſtatu opium eſſe omnino pernicioſum.

Nam & e ſuperius expoſita hiſtoria, & e pluribus aliis perſpectum ſatis habemus, nulla ratione, quemadmodum alio loco, ubii de opii in variis morbis uſu agemus, demonſtraturi ſumus, divini remedii hujus adhibitionem, & in hiſce febribus, & in

ipſis

ipſis quoque inflammatoriis morbis eſſe adverſam.

§. XXX.

At, ubi purpura, quæ vix dum comparuit, evaneſcit ob quamcunque, etiam ignotam cauſam, aut etſi critice pullulat, nihilominus repente emergit quid, ſanguinem poſcens, licebitne venam incidere? Anticipatis phantaſiæ judiciis & hic ſepoſitis, accerſamus ægros, ut ex hiſtoria eorum, quæ illis acciderunt, ſatisfaciamus cum petitioni iſti, tum alteri, nempe, utrum poſſint exanthemata hæc potiſſimum in puerperis, dum alvus ſoluta eſt, inhiberi, itemque an tota corporis peripheria ab iis jam obſeſſa, debeat adſtricta alvus molliri ſolvique, ne morbus fiat malignior.

§. XXXI.

§. XXXI.

Mulieri gracilioris corporis habitus trigesimum annum agenti, lochia post partum parcius profluxere: ob ingentem dein hypocausti calorem stragulaque, quibus corpus opprimebatur, febris accessit continua acuta, caput dolebat acrius, urinæ pallidissimæ promanabant, venter, qui distentus erat, uterusque torquebantur, pulsus erat contractus, parvus, quandoque intermittens, febris vero stricta alvo, invalescebat. Symptomatibus hisce animadversis, sanguis protinus e pedis vena largiter detractus est; cumque urgerent adhuc symptomata, nam vix cruore educto subsederant, iterabatur venæ sectio, alvo sensim emollientissimis clysteribus liquata.

Verum infensissima symptomata parum remiserunt: dolor quidem capi-

tis tolerabilior erat, ventris tamen uterique cruciatus parum, continua quoque persistente febri, imminuebantur.

Tertia itaque morbi die alba rubraque miliaria corpus totum obsidebant, etsi pridie, aliisve diebus, emollientes in alvum infusæ fuerant lotiones. Exanthemata vero hæc præcessit, tussicula pertinax, sicca, dolor capitis novissime auctior factus, leve delirium, pectoris angustiæ, nec non horripilatio. Tunc, qui adstabant omnes crisim jam factam jactitabant, existimabantque nullis aliis, nisi diaphoreticis, calidisque potubus, & hypocausti calore miliaria, ut facilius erumperent, fuisse prolicienda. Et quamvis ego reponebam adversa ægram tractandam esse methodo, ne ea interiret, nihilominus quoniam obstetrices, aliæque plures garrulæ, deliræque mulieres in hisce

regio-

regionibus medicinam puerperis, ſpreta Medicorum ope, utplurimum faciunt, adhibita ægræ noſtræ eſt ea methodus, quam reprobaveram: hinc quarta morbi die tanta febris, tantus capitis dolor, tanta exanthematum copia, auctis aliis ſuprarecenſitis ſymptomatibus ſupervenit, ut ægra in ſummo vitæ periculo verſaretur. Quapropter, cum nondum proceſſiſſent lochia, quæ tamen pluries per copioſas ſanguinis detractiones divertuntur, ita ut puerperæ ſudore abundanti perfuſæ haud raro ex integro judicentur, cumque febris noviſſime ſuccenſa, & intolerabilis capitis dolor urgerent, cenſui ſanguinem e brachii venis eſſe detrahendum.

Aſt, nec tertia hæc cruoris detractio febri, doloribusque capitis temperandis fuit ſatis; hinc quartam in pede,

eo quod nova uterina tormenta concitabantur, venæ sectionem celebravi.

Porro mirum erat conspicere miliaria vel pullulare, vel disparere, prout capitis dolores, uterinique spasmi vel imminuebantur, vel invalescebant. Conjicere hinc licebat, inflammatoriam sanguinis concretionem nervorumque omnium irritabilitatem tantam esse, ut his a morbosa materie contractis cunctæ humorum secretiones excretionesque, quæ fortasse, ni perversa methodus obstitisset, futuræ erant criticæ, inhiberentur.

Oportebat ergo cum per crebriores sanguinis missiones febrim temperare, & antiphlogisticis inflammatoriam spissitudinem solvere, tum nervis per narcotica, spasmosque infringentia stricturas laxando, prospicere, ut his detensis, non modo capitis, uteri-

nique

nique cruciatus ſedarentur, ſed & humorum ſecretiones, excretionesque criticæ accelerarentur. Præſcripſimus itaque mixturam ſequentem alternis horis e cochleari ſumendam.

℞. Camphoræ . . . grana octo.
cum gummi Arabici drachma ſemis
Tritis adde

Nitri præparati . . drachmam unam ſemis
affunde
Aquæ florum Tiliæ
- - Nymphææ ana Uncias quatuor
Dein inſtilla
Liquor. anodyn. mineral. drachm. unam.
Laudani liquidi. . . . drachm. ſemis
Diacodii liquidi . . . Unciam unam ſemis.

Potui, ubi ingens æstus erat, præcipue vesperi, emulsiones temperantes e melonum papaverisque seminibus datæ sunt, & interdiu, cum tussicula molesta ægram torsisset, e Malvæ, Bellidis, Violarumque floribus infusum, adjecto vel Diacodii liquidi, vel Capillorum veneris syrupo, propinatum est. Quotidianæ sorbitioni destinatum erat apozema radicis Scorzoneræ cum hordeo ex aqua decoctæ. Nutritioni tenue vitulinæ carnis jusculum addito hordei cremore. Quibus auxiliis eo ventum est, ut non modo miliaria liberius, profuseque eruperint, verum etiam remissis omnibus perniciosis symptomatibus alvus soluta sit, & lochia, etsi ob frequentiores sanguinis missiones pallidiora, abunde fluxerint: unde exsiccatis postea exanthematibus,

ægra

ægra ex integro ad vigesimum judicata est.

§. XXXII.

Ex hac morbi historia opinor duo constitui posse. Primum venæ sectionibus cum miliaria etiam critice prodeunt, esse locum, præsertim ubi gravioribus symptomatibus morbus stipatur. Alterum e sanguinis detractione instantem crisim quandoque non solum accelerari, sed etiam perfectiorem cieri. In quo tamen summe cautos nos esse decet, ne sanguine ultra modum detrahendo puerperarum vires, si quæ sunt jam nimis fractæ, extinguamus prorsus, quod alibi jam monuimus. Itaque constantibus viribus, & quæ hactenus memoravimus symptomatibus præsentibus sanguinem impune mittas, etsi existimes miliaria esse cri-

tica; ſupervacua enim cruoris febrim inflammationemque fovente quantitate evocata, reſtitutoque hinc vaſorum elatere, morboſa materies liberius citiusque vel ad corporis peripheriam miliarium forma propellitur, vel critice ad uterum per conſueta itinera deſcendens excernitur lochiorum ſpecie, quod utplurimum natura congruis artis præſidiis adjuta ſolet facere.

Quod ſi vires decreſcunt, inflammatio tamen licet tenuis ſit, uterum aliasve partes ob ſanguinis copiam occupat, utitor parcius venæ ſectionibus, ne una cum cruore animam e corpore educas: quemadmodum nobis videre nuper contigit in muliere mediæ ætatis, quæ, cum poſt laborioſiſſimum partum lochiis, quanam de cauſſa ignoramus, ſuppreſſis, febri inflammatoria laboraret, primo vigiliis continuis vexata

xata eſt, demum deſipuit, & quamvis ſanguine ad libras quatuor fuerat a Medicis deminuta, nihilominus lochiis nunquam procedentibus, periit phrenitica.

§. XXXIII.

Non enim copioſæ ſanguinis detractiones in inflammatoriis quoque puerperarum febribus ſunt ſemper opportunæ: nam ſi in inteſtinis reſidens ſaburra, quæ toto graviditatis tempore coercetur, febrim fovet, vel in ipſo utero quam maxima colluviei portio fluxum lochiorum cohibens coadunatur, arbitramur poſt unam alteramve ſanguinis miſſionem, leniſſimas repetitas que alvi purgationes ulterioribus ſanguinis detractionibus præferendas eſſe; qua in re utrum decipiamur, e ſequenti morbi hiſtoria quilibet artifex deprehendet.

§. XXXIV.

Mulier viginti trium annorum ſanguineæ temperiei uteri ſtrangulatui ut plurimum obnoxia, alvum ſolito adſtrictiorem habens, a primo eoque laborioſiſſimo partu fere reſtituta videbatur. Quoniam vero ei lochia parcius proceſſerant, nec unquam iners alvus lotionibus ſoluta fuit, repente venter ſummis concitatis tormentis intentus eſt, febris continua vehementiſſima emerſit, & ad pubem uſque peracutus dolor invaluit. Præter hæc mictio quam difficilima, alvus adſtrictiſſima, ſtomachus quoque dolore, nauſea, & ſingultu ſollicitatus. Aucta porro febri, ſubſiſtentibusque prorſus lochiis, dolebat capite intenſiſſime. In hoc igitur ſtatu conſtitutæ mulieri, ne cœpta uteri inflammatio abiret in ſuppurationem, aut gangrænam, ſanguis protinus

nus primum e pede, poſtea, quoniam prima cruoris detractio non ſuffecerat, ductus e brachio eſt, immiſſis quoque intra hoc tempus emollientibus in alvum lotionibus. Quo pacto ventris dolor, & febris imminui videbantur; verum etſi altera morbi die fuit in brachio venæ ſectio repetita, nihilominus febris recrudeſcentibus iisdem ſymptomatibus exacerbabatur. Quapropter tertio largiter ſanguis iterum e pede miſſus eſt, inflammatoria, quemadmodum pridie, cruſta obductus. Qua inſpecta præter repetitos clyſteres emollientes, ventrique anodynos litus applicitos mixturæ e camphora & nitro in priori nuper caſu indicatæ congruam portionem aſſumere præcepimus.

Opportunis hiſce auxiliis malum ſane miteſcebat. Alvus vero, quoniam per

per crebriores infuſos clyſteres parum emollita non ex integro ſolvebatur, leniſſimis circa initia pharmacis liberius ducenda fuit. Hinc præter memoratam mixturam, emulſionesque anodynas, quibus ſatis magnam aut Diacodii liquidi, aut Laudani liquidi, aut opii puri quantitatem adjiciebamus, exhibuimus potui lactis ſerum Tamarindinatum.

Ex alvo medicaminibus hiſce fuſa cum materies picea, bilioſa, tenax, & putrida deſcenderit, congruam, ut liberius hæc duceretur, mannæ, & ſalis polychreſti portionem addito ſyrupo roſarum ſolutivo lactis ſero commiſcuimus. Quo præſidio ad aliquot dies adhibito alvus adeo ſolvebatur, ut exinde ſalubris Diarrhæa exorta fuerit: quæ cum fortaſſe natura a vehementi morbo oppreſſa nullam criſim

moli-

molitura foret, ægram a periculoſo morbo reſtituit. Mirum ſane viſu erat, tantum ſaburræ, tetræque colluviei non ſolum per alvum, ſed & per uterum quatuordecim dierum ſpatio cum ſymptomatum omnium receſſu prodire. Ea tamen a nobis lex ſtatuebatur, ut donec libere alvus flueret, nullo alio remedio, niſi ſero Tamarindinato ægra uteretur: ubi vero inertior ſiebat, manna, & ſale polychreſto adjectis validius ſollicitaretur. Qua ratione declinantibus ſymptomatibus cunctis malum adeo lenitum eſt, ut non modo venter intentus, fieret naturali ſimillimus, verum & partus purgamenta, etſi tanta per alvum materies dejiciebatur, libere fuſeque ſatis prodierint, quibus demum ſalutaribus adjuta excretionibus, ægra integram trium ſeptimanarum ſpatio valetudinem nacta eſt.

§.XXXV.

§. XXXV.

In qua morbi historia plura censemus memoratu digna. Et primum existimabatur, cum febris post plures venæ sectiones non remisisset, nihil esse movendum, nihil urgendum, ne forsitasse exanthematibus prodituris obstaculum fieret. Ast bene perpensis iis, quibus & ante, & post partum affligebatur ægra alvi tormentis, pertinacibusque adstrictionibus, præstabat potius detracto, ad præpediendam majorem inflammationem, sanguine, densissimam toto graviditatis tempore, imo post partum ipsum ingentem saburram alvo coercitam, solvere, quam inutilia, quin pestifera, etsi pro crisi salutari vulgo habita exanthemata anxie expectare; aut, ob ingentem viscerum inflammationem cohibita materia morbosa, putredinem humorum, ipsamque

par-

partium gangrænam præſtolari, pauperemque mulierem neci tradere.

Nam quid obſtat, quominus ipſis etiam exanthematibus in tota corporis peripheria, ubi præcipue tanquam morbi ſymptomata prodeunt, exiſtentibus, ſanguis educatur? alvusque, ubi præprimis perniciosa quædam ſymptomata adſunt, ſolvatur? Plures equidem in medium proferre poſſem hiſtorias puerperarum, quæ febri acuta miliari laborantes, impellente morbi ſœvitie humorumque copia in imis ſedibus coercita corruptionique proxima, per alvi ductiones a me, minime recedentibus exanthematibus incolumes redditæ ſunt.

Imo quemadmodum me dixiſſe memini, opinor, hujuscemodi exanthemata poſſe a valida ob ingentem humorum colluviem in utero, aliisve viſce-

ſceribus inhæreſcentem coorta febri produci, ubi præcipue adſtricta alvus vix unquam ſolvitur. Opportuna contra cautione adhibita non modo nulla exanthemata per cutem diſperſa comparent, ſed pluries educto ſanguine, alvoque fuſa ea præpediuntur ita, ut nulla ratione in conſpectum poſtea veniant.

Nec negaverim miliaria critice pullulare apud puerperas acutiſſima febri laborantes in noſtris quoque regionibus poſſe, quod exemplo illuſtravi: at inhiberi creberrime ſimilia exanthemata, adhibitis, quæ ſupra recenſui, præſidiis poſſe, non quidem opinamentis permotus, ſed experientia edoctus, affirmabo conſtantiſſime.

§. XXXVI.

Verum, quid diutius in hiſce moramur, quæ diuturnæ experientiæ luce

ce patescunt? Cum itaque in ægra nostra nulla exanthemata comparuisse demonstraverimus, ostenderimusque, quæ similibus malis præcavendis prosunt adminicula, intererit Tironum, ut explanemus, cur tutum fuerit purgare toties ægræ corpus? Hoc quippe alterum erat, quod animadversione dignum putavimus.

Quicunque dexterimus practicus ad ciendos menses, nunquam utetur præsidiis purgantibus, emmenagogisve, nisi tusa primo, si plethora redundans cogit, vena, detractaque congrua sanguinis copia, idque haud alia sane de causa, quam quia hæc agunt stimulando. Ut vero eodem tempore humorum vitio succuratur, verba sunt celebratissimi Freindii: (1) „purgan„ tia adhibenda sunt, quæ non modo

 „ stimulo

(1) Emmenolog. pag. 117. De purgantibus.

„ ſtimulo pollent, ſed intra circula-
„ tionis ambitum ſeſe ingerunt, ſan-
„ guinisque craſin immutant. Et hanc
„ quidem fortioribus catharticis ineſ-
„ ſe vim ſatis manifeſtum eſt. Quip-
„ pe, cum in ſalibus potiſſimum con-
„ ſiſtere videatur medicamentorum
„ omnium energia, purgantia certe,
„ quæ ſale acri imprimis, & vivido
„ abundant, humores vehementius
„ agitabunt. Eorum igitur ſales in ca-
„ nales deducti, ſanguinem lentum ita
„ ſolvunt, & diſtrahunt, ut minor
„ ſit particularum inter ſe contactus:
„ unde uberior ſpirituum ſecretio.
„ Ideo poſt fortiora purgantia pulſus
„ ſemper increbreſcit. Ita duplici de
„ cauſa ad menſes ciendos prodeſt pur-
„ gatio, tum, quia velocitatis impe-
„ tum intendit, tum, quia ſanguinis
„ compagem ita attenuat, ut uterina

vaſa

„ vaſa latius diſtendat. Et paulo inferius: „ Ne qua vero ſit purgantium „ ſuſpicio, id obiter notandum eſt, „ mulieres, quibus ſuppreſſa ſunt men„ ſtrua, utcunque imbellices fuerint, „ catharſin ſatis validam ſuſtinere poſ„ ſe; præſertim, ſi operatione pera„ cta exhibeatur paregoricum.

Si igitur hac ratione agunt in mulierum corporibus purgantia, hosque effectus præſtant: ſequitur hæc in puerperarum morbis non modo inteſtina a ſaburra diutius collecta contentaque liberare, verum & illa ſtimulando tractis quoque in conſenſum uterinis nervis, quibus per intercoſtales nervos inter ſe communio eſt, lochia ciere, atque liberius propellere. Hinc facile conjectu eſt, alvi ductiones, ubi ingens ſaburræ copia apud puerperas ante partum jam collecta in imi ven-

tris visceribus latet, acutæque febres suprarecensitis stipatæ symptomatibus puerperas invadunt, abjecta omni miliarium erumpendorum consideratione, non solum opportunas, sed & summe necessarias esse. In quibus tamen administrandis observanda sunt corporis habitus, febris, prægressa victus ratio, ita ut a lenioribus, prout res postulat, incipiatur. Quin exanthematibus jam existentibus, dummodo ea adsint symptomata, possunt eæ sine vitæ discrimine institui, quod repetitis sæpius observationibus habuimus compertum.

Hinc non solum in hisce casibus audacter id exsecuti sumus: verum & aliis ægris acutissima febre correptis hoc medicinæ genus adhibuimus; ubi præprimis signa copiosæ saburræ in imis visceribus latentis exstabant absque eo,

quod

quod illos conſpexerimus miliaribus, quæ alii præſtolabantur, conſperſos.

§. XXXVII.

Neque ſane methodum hanc vulgari prætulimus, confiſi ratiocinationibus quibusdam, ſed auctoritate ſummorum Angliæ luminum commoti, cui experientiam noſtram reſpondiſſe, gaudemus.

Et profecto non modici ponderis eſt epiſtola illa, quam vir in arte inſignis Joannes Freindius ad æque præſtantem Richardum Meadium dedit de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre adhibendis, qua purgandi neceſſitatem non ſolum in variolis confluentibus, ubi febris illa ſecundaria putrida ægros conficit, verum & in aliis acutiſſimis febribus, & putridis, & malignis a profuſiori ſaburræ

 copia

copia fotis demonſtrat. Id enim & in ſe ipſo expertus eſt, & acute Hippocratis, aliorumque cum veterum, tum recentiorum exemplo, auctoritate explanat, confirmatque: quippe ſic loquitur: (m) „ Et certe ſunt febres ſive „ eas malignas, ſive alio nomine voca- „ veris, quæ ubi diutius inhæſerint, „ neque integra aliqua intervenerit „ criſis, nullam fere aliam curationem „ recipiant, niſi lenioribus catharticis „ inſtitutam. Hoc quidem quotidia- „ na teſtatur experientia; nosque nu- „ perrime in ægrotis tribus, exemplo „ ſatis memorabili veriſſimum eſſe per- „ cepimus.

Et inferius adjicit: alvi conſtipationem non tantum in criſi, vel febre ſecun-

(m) Epiſtol. de purgantibus in operibus ſuis pag. 107.

cundaria, ſed quandoque etiam initio contingere: puſtulisque tunc non recte procedentibus, cæterisque remediis non reſpondentibus lene opportunumque catharticum exhibendo ſæpius mala omnia ſymptomata a ſe fuiſſe depulſa, quæ in criſi tot minabantur tragœdias: variolas enim evadere fere ſemper mites, in quibus vel emeticum ex ypecacuanha, vel ipſa natura excitaverint principio ſuperius, vel inferius aliquas ejectiones.

§. XXXVIII.

Quam vero apta ſint ad puſtulas protrudendas cathartica, meatus ſcilicet cuticulares, ita enim is loquitur, detergendo, naturamque quaſi mancipando exemplum de ſe ipſo refert, febri quondam correpto. Nam hæc aliquot dierum ſpatio ſoluta videbatur;

nihilominus, quoniam Medici ſuſpicabantur futuram puſtularum quarumdam (vulgo Raſch.) eruptionem, admoverunt ſibi jacenti, ſudantique veſicatoria. Cum vero poſt ſex dies urina, lingua, pulſus febrem ſolutam indicarent, juſſerunt puſtulis non erumpentibus, ut ſurgeret e lecto. Proximo die alvo ſatis adſtricta immiſſum eſt enema. Intra unum alterumve diem catharticum propinabatur, & veſperi paregoricum. Lectum vero iterum ingreſſus, ſenſit toto corpore uri ſe, & vellicari, ac ſi a veſicatoriis morderetur, fuit deinde ſudore ad tres quatuorve horas inſiſtente perfuſus, deinde ſomno obruebatur: mane vero animadvertit corpus totum puſtulis quaſi varioloſis conſperſum, quæ ſatis abundans eruptio ad duos usque menſes perduravit. Atque his narratis ita

con-

concludit: „Uno verbo, ſimplex in
„ ſuis ſemper eſt natura viis, nec eſt,
„ quod agat Medicus, niſi, ut eam ſe-
„ quatur. Quibuscunque vero pla-
„ ceant nimis hypotheſes utcunque do-
„ cti ſint, in errores incidant, non eſt
„ mirum. Veriſſimum tamen eſt, quod
„ multi maximi ingenii viri naturæ
„ ductum non juſte attendentes, ſym-
„ ptomata pro ipſis morbis curare ten-
„ tant, adeoque plures faciunt, quam
„ natura, morbos.

§. XXXIX.

Nec eſt, qui auctoritati tam præ-
ſtantis viri recuſet cedere: poſſem enim
ejus obſervationem pluribus exemplis
roborare. Non enim ſemel, ſed ſæ-
piſſime inciderunt in manus meas ægri,
in quibus, etiamſi nondum ſat diluci-
da variolarum, morbillorumve erum-

 pen-

pendorum indicia ſe manifeſtabant, nihilominus cum purgationis indicationes ſeſe prodidiſſent, morbusque variis ſymptomatibus comitatus diu protraheretur, comparuerunt alvo pharmacis ſubducentibus ſoluta, morbilli variolæque altera a purgatione die.

Quod mihi nuper videre contigit in virgine octodecim annorum craſſioris corporis habitus, quæ catharroſa defluxione cum tuſſi pertinaciſſima cruciabatur octiduo. Siquidem hoc temporis intervallo demulcentia, obvolventiaque nihil aliud præſtitiſſe viſa ſunt, niſi, ut morbum aliquantiſper lenirent. Pertinax enim tuſſis illa repente recruduit, excitatoque capitis dolore ad alterum octiduum perduravit. Cumque bina hæc ſymptomata ſuſpicionem mihi moviſſent morbi alicujus eo in corpore altius latentis, acceſ-

cessissentque angustiæ quædam pectoris, respiratio difficilior, & febris, adhibendam censui venæ sectionem, & præmisso enemate, antiphlogisticam mixturam. E quibusdam enim symptomatibus, quæ illico disparuerant, conjectabam morbillosam forte materiem delitescere, quamvis morbus hic eo tempore epidemice non grassabatur.

Inde lenissimam e Manna, sale polychresto, syrupoque rosarum solutivo purgantem potionem propinavi, propterea quod saburræ primis viis adhærescentis indicia aderant, cujus ope ægra decem & novem vicibus copiosissime repurgata, symptomatibus cunctis remittentibus, dicebat se omnino convaluisse.

Ast altera die eam invisenti, mihi relatum fuit, tentasse hanc e lecto surgere, verum animo quasi linqui sibi visam

visam esse; unde decumbenti iterum lassitudinibusque affectæ, tussicula solita toto inhorrescente corpore, increbuit. Accessit calor in noctem usque seram factus intensior; altera vero die totum corpus morbillis copiosissime perfusum est. Tanta enim erat morbillorum copia, ut a pluribus annis non reminiscerer, me corpus aliquod similibus exanthematibus adeo oppletum, conspexisse. Congrua tamen methodo a me tractata, brevi temporis spatio ad integritatem pervenit.

§. XL.

In hac porro ægritudine notatu dignum erat, eruptionem morbillorum in tantum tempus fuisse protractam; naturam autem operi suo critico perficiendo vires suas applicare tum tandem valuisse, cum secta fuit vena, & sabur-

ſaburræ in imis viſceribus deliteſcens copia ſubducta.

Liqueſcit igitur primum in hiſce febribus, ſi aliquoties fortuito, etſi tardius morbilli erumpunt, tuto poſſe & ſanguinem educi, & alvum ſolvi: tum cur aliis in exanthematibus miliaribus nempe ſive albis, ſive rubris, quæ ob ſummam putridorum humorum colluviem in toto corpore reſidentem protruduntur, alvus liquefieri non debeat: demum, quemadmodum nuper demonſtratum eſt, cur exanthemata, quæ critice, & vi naturæ propulſa incipiunt apparere, erumpant remittentibus pernicioſis ſymptomatibus quotiescunque ſupervacua, putridaque morboſa materies ex alvo ſubtrahitur.

§. XLI.

Quandoque etiam omnem de purgatione dubitationem tollit vel in gra-

viſ-

vissimis casibus ipsa natura, ut Meadius inquit, (n) dum in inferiora noxiam materiam depellit, continuato per plures dies alvi fluxu; quod cum fit, ita nunc comprimi, nunc solvi debet venter, ut ne nimiæ dejectiones vires prosternant. Incolumem hoc modo evasisse nobilissimum adolescentem octodecim annorum, ait, cui facies sexto die sine ullo tumore chartæ pergamenæ speciem referebat; suppurationis signa nulla erant, quapropter imposita sunt membris emplastra vesicatoria, quæ solito plus humoris eduxere.

Die nono, manibus nihil prorsus intumuscentibus, supervenit Diarrhæa; hanc sumtum sæpius cum confectione Fracastorii Rhabarbarum ita compescuit,

(n) In epistola ad celebrem Freindium data, & operibus suis adjecta de purgantibus in variolarum confluentium febre secundaria, conscripta.

ſcuit, ut ter tamen quaterve quotidie minimum dejiceret æger; decimo quarto die rupta in facie membrana tenui ſanie eroſa, ſubtus apparebat cutis, non ante viceſimum diem decidentibus penitus ſquammulis; alvus vero per omne id tempus eo, quo dictum modo, fluebat. Quod in uno atque altero adoleſcente eodem fere modo laborante feliciter ſe expertum eſſe memorat, etiamſi (quod non raro fit) crebra in puſtularum intervallis exanthemata erumperent, quæ malignitatis nomine adſtantes terrent; hæc enim non febrem ſolvere, ſed materiæ morbidæ copiam, & lentorem indicare; quo magis neceſſarium eſſe inquit interpoſito tempore alvum ſæpius ducere.

§. XLII.

Porro penſitatis rite tam inſignium virorum ſententiis, amœnum dulceque

eſt,

eſt, (quoniam ambo iſti veterum documentis innutriti, ea in ſuccum & ſanguinem converterunt) dulce eſt inquam ad medicinæ fontem ipſumque nobiliſſimæ artis noſtræ Parentem proximius accedere, exploraturi, quidnam is de purgantibus in mulierum præcipue morbis docuerit. Et inprimis in aphorismis (o) pronunciat: „Mulie-
„ lieri menſes decolores, neque ſem-
„ per eadem periodo procedentes pur-
„ gationem indicare.

Quæ verba etſi brevia, nihilominus intimius ponderata continent totum id, quod Freindius in ſua Emmenologia de purgationis neceſſitate in ſuppreſſis prorſus menſtruis diſerte explicavit.

De natura vero muliebri ſic habet: (p) „ Ubi menſes comparent, pauci
„ &

(o) Lib. V. Aphor. 36.
(p) Hipp. Oper. Edit. Foës. pag. 566. No. 40. 50.

„ & pravi prodeunt, cervix & clavi-
„ culæ extenuantur, & pedes intu-
„ mescunt, cum sic habuerit, medica-
„ mentum deorsum purgans propina-
„ to, & ad uteros, quæ purgent, ne-
„ que mordeant in subdititio apponito.

Ubi de uteri erysipelate agit cunctaque symptomata enumerat, ita legimus: „ Hic morbus, si prægnanti ob-
„ oriatur, perit, alioqui curatione ad-
„ hibita sanescit. Cum igitur sic ha-
„ buerit, si dolor detineat, refrigeran-
„ tia porrigere, ventremque movere
„ oportet: quod si utero habeat, cibis,
„ & potionibus utatur, quibus fœtus
„ minime perdatur. Si vero alvus
„ non dejiciat per infusum subluito.
„ Verum si utero non habeat, medica-
„ mentum purgans potui exhibendum.

Et paulo inferius: „ Ubi autem fe-
„ bris & strangulatio dimiserit, tu-

„ morque minime ſubſtiterit, medi-
„ camentum valentius deorſum pur-
„ gans poſtea propinato.

Sicque in toto hoc libro de natura muliebri non modo præcepta legesque ſancivit Divus ſenex de mulieribus purgandis, ſed & de iis, quæ uterum purgant, quæque faciunt, ut poſt partum lochia facilius promanent, egitabunde.

Extra controverſiam itaque eſt, ipſum medicinæ Parentem in puerperarum morbis præcipue acutis, dum lochia non libere profluunt, cenſuiſſe per medicamenta uterum eſſe repurgandum, delineaſſeque morborum ſucceſſiones, quæ, ubi illud negligitur, ſolent pullulare.

§. XLIII.

Si igitur & Præceptorum auctoritas, & repetita experimenta nos do-

ceant

ceant puerperis e putridorum humorum viſcera imi ventris, uterumque obſidentium colluvie febrientibus purgationes eſſe proficuas, prudentis ne erit artificis medicinam hanc averſari? Deponant ergo Tirones male conceptum hunc metum, & ipſismet in cute exiſtentibus cujuscunque generis exanthematibus, ubi perniciosa præcipue ſymptomata ægrum proſternunt, purgationem inſtituant, ut pulſa putrilagine, quæ humores reliquos, quo magis ſtagnat, corrumpit, febri, miliaribusque inde ortis fomentum ſubtrahant.

§. XLIV.

Tempus eſſet, ut ad alteram tractationis hujus partem tranſiremus, ſed operæ nos prætium facturos remur, ſi adhuc quædam Tironibus in hujuſcemodi

modi ægritudinibus medendis, utilia suppeditemus.

Potissimam, quin & unicam normam, ad quam respicere debent medentes, esse naturam, fatetur quilibet: omne itaque artificum studium eo vergere debet, ut quæ adhibentur præsidia artis, hanc sequantur adjuventque, non vero prævertant, præfocent, pessumdent: quod ut in omni medicina facienda, sic in puerperis tranctandis est quam diligenter observandum. Animadverti enim aliquoties puerperas febri acuta laborantes prima vix, vel altera celebrata venæ sectione sponte fuseque sudore adeo perfundi, ut febre caruerint, convaluerintque prorsus, nullis lochiis comparentibus, vixque lactis aliqua in earum mammis guttula collecta. Propterea sapienter Hoffmannus

nus (q) recenſens hiſtoriam febris uterinæ ſudore in puerpera ſolutæ, monet, ne unquam renitente natura moveantur, urgeanturque excretiones.

Huic enim triginta annorum mulieri ſanguine, ſuccoque obrutæ, ut ipſe narrat, poſtquam feliciter peperit, ſecundæque prodierunt integræ, lochia ſubſtitere, tenui tantum materie ex utero ſtillante. Cumque ea non ſolum calidis, ſed & pellentibus medicaminibus imprudenter tractaretur, dolore, ſpasmisque uteri, febri deinde acuta continua correpta eſt, unde in magnum vitæ diſcrimen incidit. Sed vena in pede tuſa, emollienteque clyſtere immiſſo, erupit ſeptimo die ſudor quatridui ſpatio copioſiſſime toto corpore manans, ita ut linteamina, & lectum ipſum ali-

(q) Med. Rat. Syſtemat. Tom. IV. de febre uterina pag. 512.

aliquoties mutare opus esset, quo pacto ægra restituta est; absque eo, quod lochia profluxerint.

Monet nihilominus idem auctor pag. 514. tutius esse puerperis ex alvo materiem detrahere, quam sudorem nimium prolicere.

Animadversionem & illud meretur, quod creba experientia compertum habuimus, mulierum plurimas, quibus præcipue & corpus laxioris est habitus, & humores facile turgent concitanturque, esse in sudores quam maxime proclives. Eæ igitur, si post puerperium nimis cito aëri liberiori frigidiorive sese exponant, vix sensibili accedente ob sudorem repressum febricula, signisque solitis exanthemata præcurrere vix apparentibus, præhenduntur inopinato purpura rubra ingentem pruritum, molestiamque causante.

te.

te. Quod iis quoque, quemadmodum his diebus, cum hæc ſcribebamus, accidit, quæ non ſat puerperii tempore a lochiis repurgatæ ſunt, non modo poſt menſem unum, alterumve albo fluore, ſed & purpura ipſa rubra uno tempore corpus totum opplente, infeſtantur; quæ utero paulo poſt puerperium ſat repurgato fortaſſe non prodiiſſent.

§. XLV.

Recordamur itaque talia exanthemata pluribus mulieribus ſucci plenis, lautiorique victus rationi deditis contigiſſe, quibus, cum rite lochia renitente adhuc abdomine promanaſſent, purgantia exhibere non licuerat, quoniam vulgatum, inconſultiſſimeque ſtatutum illud ſex ſeptimanarum tempus nondum effluxerat. Mulierculis

enim, obstetricibusque, quin & Medicis quibusdam ea sententia insedit, crimen esse gravissimum, si puerperis, antequam magicum, ut ita dicam, hebdomadale hoc temporis spatium prælapsum sit, propinetur quid ad purgandum. Quæ opinio satis stolida, perniciosissima est: Siquidem multiplices purgatione neglecta oriri noxas vidimus, in iis præsertim mulieribus, in quibus lochia nec rite, nec quoad oportebat, processerant. Nam quibusdam venter adeo intumescit, intenditurque, œdematoso quoque pedum tumore adveniente, ut tympaniticæ, aut hydropicæ videantur. Aliis tetra humorum colluvies profluit ex utero, quæ si ibidem adhuc diutius stagnans, putrescat, gignit apostemata, si in sacculis concrescat, efficit scirrhos, cancrosque, a quibus tandem erosis cunctis

vasis

vaſis cruorem continentibus, vita una cum ſanguine decedit.

Sunt, quibus uterus jamdiu putridis hiſce, malignisve humoribus infercitus confluente nova ejusdem generis humorum copia repletur tumoribus, ateromatum, ſteatomatumque figuram efformantibus, & ita monſtroſe prominet, ut quæ id patiuntur non modo vix incedere, ſed ne decumbere quidem, ſpiritumque ducere valeant: quod a pluribus celebribus viris adnotatum legimus.

§. XLVI.

Omnibus autem hiſce ærumnis ſubjiciuntur infelices puerperæ haud alia plerumque de cauſa, ac e prætermiſſa purgatione, quoniam id intra Pythagoricam ſex ſeptimanarum periodum tentare, eſt, ſi ſuperis placet, ſceleroſum.

 Tan-

Tanti refert medica axiomata non e præjudicatis opinionibus, ſed e natura ſola derivare: Ex iis, quæ hactenus diſputavimus facile cuilibet erit colligere, utrum purpura, de qua verba fecimus, critica ſit, vel ſymptomatica?

Jam vero, cum nihil nobis ſuperſit, quod ad horum exanthematum præprimis in puerperis cauſas vel præcavendas, vel tollendas afferamus, decet, ut aliorſum ſermonem noſtrum convertamus.



PARS II.

§. XLVII.

Nemini, quantum ego quidem arbitror, eſſe dubium poteſt, quin miliares puſtulæ in regionibus noſtris cum ob aëris intemperiem

riem, tum ob hominum idiosyncrasian, vitæque genus, præcipue apud puerperas observentur: id enim in priori tractationis nostræ parte præstitimus, ostendimusque rationem, qua utplurimum ægros acuta febre correptos eæ invadant. Agitandum ergo nobis videtur, quinam sint ii morbi, in quibus hæ vel critice, vel symptomatice soleant erumpere.

Criticorum symptomaticorumque miliarium signa, quæ nonnisi diuturno praxeos usu & nosci, & designari possunt, tradidimus.

Videamus modo, an in omnibus, quæ quacunque de causa cum viros, tum extra puerperium fœminas invadunt acutis febribus, miliaria siquidem pullulent, producantur naturæ vi crisim moliente.

Post

Poſtquæ diſquiremus, quod extremo partitionis noſtræ loco poſuimus, utrum, & quomodo ea poſſint præcaveri?

§. XLVIII.

Vir quadragenarius ſanguineæ temperiei, lautiori victus ratione uſus, correptus eſt febri continua acuta, cui altera die vehemens capitis dolor reſpiratioque anxia, & ſummopere difficilis advenit, urinis flammeis, alvoque penitus obſtructa. Aeger neſcio quo oeſtro percitus, nullis aliis ſe uti remediis velle, præter potum ex herba thee ſucco Citri adjecto, ſecum ſtatuerat; quoniam putabat ex hac ægritudine certo certius ſe moriturum: dictitabat propterea omnem medicamentorum, medicorumque opem fore inanem.

Acci-

Accitus ego, mente eum fortasse captum, autumavi: sed cum illius sensa constare deprehendissem, nullum prætermisi cum a ratione, tum a religione petitum argumentum, ut hominem a tam ferali proposito dimoverem. Verum is in præconcepta sententia sese magis obfirmans, negavit permissum iri a se, ut sibi gutta vel sanguinis detraheretur, quod illico volebam factum, vel medicatæ potionis ingereretur. Si quid itaque illi potandum offerebatur antiphlogistico aliquo medicamine, puta nitro imbutum, degustabat prius, ut posset illud inde respuere; nihil enim potabat, nisi infusionem Thee, etsi satis largiter. Atque ita se gessit triduo, Medicos alios, qui advocati fuerant æque ac me contemnens, deridensque.

Quarta vero ingravescentibus cum febre symptomatibus omnibus desipuit.

Tunc

Tunc illi ſubdole decepto ſanguinem profuſe extraximus, qui ſtatim in denſam laridoque ſimillimam cruſtam coivit. Cumque ex hac venæ ſectione, & ex abundantiori antiphlogiſtico potu, nullum levamen æger ſentiret, venam in pede iterum tundere, emollientiaque enemata infundere neceſſe fuit.

At omnia hæc, quoniam extra opportunum tempus adhibita, ceſſerunt incaſſum: quinta ergo, ſextaque morbi die purpura rubra, albaque repente prorumpens ægrum undique adeo opplevit, ut raro tot exanthematibus refertum corpus ullum conſpexerim.

Verum, etſi copioſiſſime hæc prodierant, magna nihilominus febris, æſtusque acceſſio facta eſt, ac ſi igne æger extorreretur. Deliria quoque aucta

cta phrenitidem prænunciabant. Urinæ erant pallidiſſimæ: expeditus ad omne audendum æger: modo vigiliis modo ſomno turbulento torquebatur, creberrimeque e lecto interrupta quiete proſilire cupiebat, & tendinibus ſubſultantibus, carpebat digitis floccos, legebatque ſtragulorum titivilitia.

Ex quo patebat, iſtud inſaniæ genus eſſe longe acutiſſimum, brevique ægrum, quoniam, nec ſanguinis detractiones repetitæ, nec alia auxilia deliria compeſcuerant, ſtrangulaturum.

Quod prognoſticum confirmabatur, tum ex dementia continua, vigiliisque, tum ex excrementis enematum ope, parce tamen fluentibus, quæ bilioſa porraceaque erant, & cadavericum fœtorem exhalabant: ex urina denique, quæ ſi quando ſtillabat, nervo-

rum

rum distentionem brevi futuram indicabat.

At, quod operæ prætium est animadvertere, miliarium rubrorum alborumque copia tanta erat, ut nulla corporis pars non iis referta quam maxime esset: & alborum quidem amplitudo erat ejusmodi, ut variolarum sero putrido oppletarum adinstar unum contingeret aliud interjecto fere nullo interstitio.

Cum itaque nec subacida putredini coercendæ apta, puta vitrioli oleum crebrius exhibita, nec ipse Peruvianus Cortex antiphlogisticis commixtus profuissent; æger sudoribus copiosissime sine levamine promanantibus febrili æstu tostus, computruit, & a convulsionibus præfocatus, brevi occubuit.

§. XLIX.

§. XLIX.

Jam vero alteram exanthematum cum lethalibus ſignis prodeuntium hiſtoriam proferam.

Vir ſexagenarius catarrhoſus haud idonea ætati ſuæ victus ratione uſus, cum hyemali tempore rigidiſſimo negotiorum cauſa auræ liberiori ſe expoſuiſſet, cohorruit, & calidiſſimo hypocauſto incluſus diem transegit.

Noctu febre acuta, difficili anhelitu, eodemque frequenti calidoque, nec non tuſſi & præcordiorum totiusque corporis gravitate, diſtenſioneque præhenſus eſt.

Malæ rubeſcebant, pulſus modo undoſus, modo magnus, & celer erat. Tuſſiens ſpumoſum quid elidebat ſtriis cruentis permixtum. Urinæ rubeſcebant quam maxime.

Altera morbi die legitima eum Peripneumonia detentum judicavi: quapropter cum vires satis constarent, morbique gravia symptomata urgerent, sanguinem e brachii venis detractum volui. Et quoniam alvus adstricta erat, emollientem lotionem infundi curavi, non prætermissis quoque iis cum antiphlogisticis, tum, ut vulgo vocant, pectoralibus præsidiis, quæ hujuscemodi morbo apta habentur.

Hæc tamen profuere parum: etenim non modo cuncta exacerbata symptomata sunt, sed & præcipue respiratio invalescente molestissima tussi facta est valde difficilis. Propterea altera sanguinis detractione opus fuit, qui mox eductus in massam larido flavo similem, quemadmodum prior, concrevit, nullo subsecuto levamine: nam ægrum & febris eadem intensione torque-

quebat, & deſipientia corripuit, & quarto morbi die rubra miliaria per varias corporis ſedes ſe diffundentia infecerunt. Quo facto tuſſis effecta eſt moleſtior, & reſpiratio gravior, nihilque laudabile per ſputum extundebatur.

Quæ cum inflammati omnimode ſanguinis ſigna eſſent, pallidioresque urinæ denotaſſent materiei morboſæ ad cerebrum metaſtaſin, cenſui tundendam tertio venam in pede. Sanguis itaque, qui præ nimia denſitate, ac tenacitate vix e venæ, ſatis tamen magno inflicto vulnere ſtillabat, & quidquid demiſſo in aquam calidam pede liberius poſtea effluxerat in tenaciſſimam membranam protinus coibat.

At nec cruoris eductiones febris incendium temperarunt, nec ſputum, niſi tenax, flavum, cruentisque interſperſum guttis per tuſſim difficillimo

ſubſequente anhelitu excreabatur, & miliaria non modo rubra, verum & interea temporis alba quoque denſatim, moleque ad aſpectum increſcente, prodibant, plura denique præſidia, quæ inflammatoriam humorum tenacitatem fundunt, atque putredini occurrunt, nullum prorſus effectum præſtabant. Acceſſit tandem illud, quod crebrius lethale eſt, ventrem nempe inopinato ſolutum ingentem vermium bilioſis fœculentisque excrementis immixtam copiam dejeciſſe viribus ægri decreſcentibus: unde peſſime de ejus ſtatu ominari erat.

Nihilominus, ut quid in nobis erat, efficeremus, tentavimus pectori valde oppreſſo, deſipientiæque pertinaciori ſuppetias ferre, binis ad crura admotis veſicantibus, quæ expectorationem promoverent, morboſamque materiem ca-

put

put afficientem ad inferiores ſedes derivarent.

Verum, etſi hæc veſiculam ſero craſſo putridove oppletam excitaverant, nihilominus cuncta lethalia ſymptomata perſtabant: imo deliriis, vigiliisve invaleſcentibus, nec non putrida ab alvo decedente colluvie, inflammatio pulmonum in gangrænam die morbi octavo abiit, quo æger repente egit animam.

§. L.

Cum ergo in utroque hoc caſu miliaria ſummam humorum putredinem, ob quam mors in ambobus ægris conſecuta eſt, denunciarent; confectum arbitror, non potuiſſe ea exiſtimari critica.

In primo enim, cum renitente ægro nulla medicina circa morbi initia po-

tuiſſet adhiberi, eousque humorum corruptio, malignitasque pervenit, ut poſtea nullo artis auxilio huic ſubveniendum eſſet.

In altero vero, æger utpote, qui ætate grandævus, & maxima putridorum malignorumque humorum copia ſcatens morbo acutiſſimo, quo raro ſolent ſenes pertentari, correptus erat, ſeſe, etſi congruis præſidiis adjutus, nullatenus potuit a morbi vi extricare.

§. LI.

E quibus, aliisque pluribus, quas afferre poſſemus hiſtoriis, conſtabit, ni fallimur, tantum abeſſe, ut miliaria ſint ſemper critica, ut ſæpiſſime pro ſymptomaticis, mortemque prænunciantibus ſint habenda.

Quod ſi qui forte exiſtit, qui ea ſemper eſſe critica contendat, vereor,

ne

ne ita judicet, eo quod non ſatis dilucida criſeos notione imbutus ſit.

Hinc neceſſarium ducimus, de ejus natura aliquantisper diſſerere.

§. LII.

Criſis nomine, qui in arte peritiores ſunt, intelligunt naturæ & morbi confiictationem quamdam, ſeu quemadmodum Alpinus noſter inquit (r) judicationem, unde dies critici, ideſt judiciales appellantur, eo quod in ipſis de naturæ morbique exitu feratur judicium.

Cui quidem definitioni non omnes aſſentiri, teſtantur variæ, quæ hac de re fuere olim vagatæ ſententiæ. Et profecto Galenus quandoque (s) aut ſubitam in morbo mutationem, aut ad meliorem ſtatum inclinationem, ſive

(r) De præſag. vit. & mort. Lib. VI. De Criſi.
(s) Lib. I. De Criſibus Cap. I. & II.

ſolam agitationem, quæ anteceſſit, vel omnem morbi ſolutionem, aut illam tantum, quæ bona ſit, intelligi criſeos nomine poſſe, contendit. Alio vero in loco ait (t) criſim eſſe ſubitam, præcipitemque in morbo mutationem, vel ad ſanitatem, vel ad exitium inclinantem. Tandem alibi criſim (u) ideſt judicationem dicit, eſſe ſubitam in morbo vel ad ſanitatem, vel ad mortem mutationem, quæ fit natura ſeparante a bonis mala, & ad excernendum præparante. Qua in notione, ut immortalis nominis vir Proſper Alpinus adnotat, ab Hippocratis ſententia non recedit, cui repentinæ morborum converſiones, unde, vel æger convaleſcit prorſus, aut interimitur, vel ſaltem ad ſanitatem, mortemve diſponitur

(t) Lib. III. De Criſibus Cap. I. & III.
(u) Lib. II. Aphor. 13.

tur, crises, judicationesque denominantur.

Ipse autem Galenus tum eodem aphorismorum loco, tum & libro tertio de crisibus hac ratione loquitur. „ Solita igitur subita ad sanitatem con-
„ versio simpliciter crisis nominatur,
„ & quidem omnino quid per mani-
„ festas quasdam excretiones, aut ef-
„ fatu dignos abscessus. Quicunque
„ enim aliter quieverint, malignius
„ retrocedunt.

Is itaque in definienda crisi videtur haud satis sibi constare. Quoniam vero non recusat appellare crisim eam subitam morbi mutationem, quæ sive ad sanitatem, sive ad mortem fit, affirmatque hujuscemodi commutationes fuisse ab Hippocratemet vocatas crises, judicationesque, definiemus cum

artis Parente crisim, ut sit (x) ad salutem, aut mortem vel inclinatio ad melius, aut ad pejus.

Veræ autem crises, ut Alpini verbis utar: (y) „ quatuor tantum sunt, „ quippe subitæ mutationes ad sanitatem, & ad mortem, aut ad melius, „ aut ad pejus. Ex quibus has primo „ colligimus esse crisium primas differentias, quippe primam subitam mutationem ad sanitatem, quæ est perfecta optima crisis, quod omnino „ ægrotum a morbo liberet; & alteram ad mortem, quæ perfecta & „ pessima, cum continuo ægrotum interimat; tertiam ad melius, quæ est „ bona, sed imperfecta, propterea „ quod non prorsus hominem sanet; „ atque quartam ad pejus, quæ & ipsa „ pessima est, ac imperfecta, quod & ipsa

(x) Epid. I. Sect. III. pag. 965.
(y) Lib. VI. Cap. VI. De Crisib. pag. 374.

„ ipſa non continuo hominem perdat,
„ ſed paulo poſt.

Illa ergo, quæ omnino ægrotum non modo ab ea, qua hic tentatur ægritudine liberat, verum & a vitæ diſcrimine prorſus tutatur, habenda eſt perfecta & optima.

„ Fit autem (Galeni ſunt verba
„ Lib. II. aphorism.) natura ſeparan-
„ te a bonis mala, & ad excernendum
„ præparante, non temere igitur in
„ tali perturbatione graviter ſe habent.

Quapropter Alpino monente quæ criſes molitur, natura eſt, quæ tunc opus ſuum perfeciſſe dicenda eſt, cum humores pravi fuerint ab ea concoquendo ſeparati reapſe a bonis, excretique. Nam cæteræ, quæ in morbis accidunt mutationes, quas verius ſolutiones appellaveris, haud criticæ ſunt, quandoquidem aliunde ac a natura efficiun-

ciuntur. „ Ut enim vincente natura, „ aut humores crudi, craſſi, ac lenti „ ad motum difficiles, ſed coctione „ primo extenuandi & abſumendi, quo „ morbus paulatim marceſcit, usque „ ad omnimodam ſanitatem; ſic mor- „ bo ipſo vincente, eique natura ſuc- „ cumbente, virium proſtratio, qua „ natura paulatim a morbo conſumi- tur; hinc Galenus in 3. libro de Criſi- bus Cap. 10. „ Eſt autem primum & „ maximum in morbis mortalibus ſig- „ num, quod ſine criſi mors ſit ſubſe- „ cuta, virium imbecillitas.

§. LIII.

Quæ cum ita ſint, cur enim a tam accuratis diligentibusque viris in criſi- bus æſtimandis recedemus? cenſenda- ne erit criſis vel perfecta, vel ſalutaris ea morboſæ materiæ ad cutim propul- ſio,

ſio, qua viribus ægri declinantibus, auctaque cum ſiniſtris ſymptomatibus humorum putredine; corpus, ut in ſuperioribus hiſtoriis vidimus, gangræna, aut ſphacelo prorſus confectum peſſumdatur?

Statuamus ergo miliaria alba & rubra non ſemper eſſe critica, ſed haud raro ſymptomatica. Quid quod exſtant aliquando morbi, in quibus hujusmodi eruptio, etiamſi critica videatur, nihilominus, quoniam perfecte morbum non ſolvit, neſcio, an potius ſymptomatica ſit exiſtimanda? quemadmodum in hominibus quibusdam craſſiori corporis habitu præditis, rheumateque, arthriticisque tormentis afflictis, obſervamus. His enim poſtquam ad morbum levandum artis ſubſidia adhibita ſunt, etſi abſunt calida quæcunque medicamina, decumbuntque

que in quam temperatiſſimis hypocauſtis, ſi urinæ, quæ profluunt non ſint turbulentæ, aut ſedimentum vel viſcidum album, tenax, glutinoſum, terebinthinæ quaſi ſimile, vel ut in aliis evenit, rubrum cinnabarinum in cryſtallos concreſcens non deponant, ſed potius ſint albæ pallidæ, claræque, accidit, ut rheumatica materies a ſanguine reſumta propellatur febris acutie miliarium in ſpeciem ad cutem.

Iſthæc autem eruptio, ut & ea, quæ per ſudorem fit, minuit quidem arthriticum humorem, unde aliquatenus dici poteſt critica: verum, quoniam hujuscemodi morbi non judicantur perfecte, niſi urinæ craſſæ, turbatæ, tenaces, ſedimentoque plurimo ſaturatæ effluant exanthematica eruptio criticæ nomine non videtur donanda. En exempla.

§. LIV.

§. LIV.

Virgo vigeſimum agens annum temperiei atrabilaris craſſiori victui dedita, cum tempeſtas eſſet frigidiſſima, correpta eſt febri continua, acuta cum acerbiſſimis artuum cruciatibus, immanique capitis dolore; ſitis magna, tuſſisque pertinax, & ſicca cum reſpiratione graviori eam torquebat, urinæ erant pallidæ, nec minimum quid deponentes.

Sanguinem igitur, qui larido ſimilis erat, bis e brachio, atque inde ſemel e pede extraximus, exhibuimusque præter clyſteres emollientes antiphlogiſtica, aliaque demulcentia medicamina ad decimum quartum usque diem.

Tunc, etſi hypocauſti calor temperatiſſimus erat, cepere modo declinare, modo ingraveſcere ſymptomata, tum

præ-

præcurrentibus leni ſub delirio tuſſicula ſicca & frequente, & anheloſa, totiusque cutis horripilatione, prurituque, effloruere ſenſim ſenſimque exanthemata alba, & rubra. Cumque calor intenſus remitteret, poſtque aliquot dies declinarent acerbiora ſymptomata, dedimus potui radicis Scorzoneræ, foliorum & florum Malvæ, Scabioſæque herbæ decoctionem, & e cochleari propinavimus mixturam ex Stybii diaphoretici drachmis duabus in aquæ Scabioſæ unciis octo ſolutis confectam, addita Diacodii liquidi uncia.

Interea, etſi exanthemata creſcebant, perſtabantque, nihilominus dolores, diſtortionesque artuum vehementiſſime ægram cruciabant, donec urinis cinnabarino colore ſaturatis, matulamque incruſtantibus copioſe ad plures hebdomadas fluentibus, radix

morbi

morbi evulſa fuerit funditus ; unde ægra trigeſimo die convaluit.

§. LV.

Sed, ne hæc obſervatio reputetur ſingularis, dabo hiſtoriam alteram.

Vir quadragenarius atrabilaris temperiei, a pluribus annis cum ob victus minus congruam, tum ob varia corporis vehementiora, præcipue hyemali tempore inſtituta exercitia corpus adeo defatigavit, ut atrociſſimis artuum omnium tormentis præhenſus fuerit, ita ut contractis artubus cunctis, vel digitum præ nimio dolore nec ipſemet movere, nec ut ab aliis attingeretur, pati poſſet.

Febris ingens erat, vigiliæ ægrum extenuarant, vixque in lecto ullam quietis ſedem inveniebat. Urinæ primis morbi temporibus turbidæ, late-

ritiæ, craſſæque conſpiciebantur. Poſtquam vero hic per plures dies noctesque hiſce tormentis tortus eſſet, correptus eſt capitis dolore graviſſimo, urinis claris, & pallidis, & parva copia redditis: reſpiratio invaleſcente febri cum lingua aridiſſima, rara mireque vehemens erat, pulſusque citatus: ſermone utebatur expeditiori, imo contra ac dum eſſet ſanus evaſerat loquax. Atque hic quippe, qui doctus expertiſſimusque Medicus erat, cunctis, quæ ei ſub morbi initium contigerant, perpenſis, pronunciaverat debere ſe brevi aut ſopore obrui, aut mente alienari. Hinc præmiſit congrua artis præſidia, præcipue venæ ſectiones, imperavitque cunctis, qui ægro opem ferebant, primo, ut Medicum amicum accerſerent, dein

vero

vero, ne vel minimum quid medicamentorum, præter largiſſimum potum Theæ, vel emulſionem demulçentem, quod ei fortaſſe aut deſipienti, aut ſoporoſo præſcriberetur, propinarent. Imo uxori ſedulo præcepit, ut ſe lethargo forte oppreſſum, excitaret creberrime, proluĕretque quam liberaliſſime potionibus memoratis: caveret quoque, ne calida, pellentiaque medicamina in os ſibi infunderentur.

Paruit ſancte mariti dictis uxor vigilantiſſima, cumque ſubdelirium ſoporque profundus repente adveniſſet, ingentem dilutiſſimi ſubaciduli potus copiam diu noctuque illi ingeſſit; cum itaque morbi acuties ad decimum quartum usque diem protraheretur, miliaria rubra, & alba toto corpore profuſiſſime notabili admodum ægri levami-

 ne

ne prodiere. Et declinarunt quidem ſymptomata, ægerque in tuto erat, nihilominus arthritici dolores ex integro profligati non fuere, donec urinæ magna quantitas, quemadmodum in alio caſu meminimus, ruberrimam continens hypoſtaſin effluxit: hujus vero cinnabarino colore infuſcatæ, & ad trium digitorum craſſitiem in matula concreſcentis fluxus ad plures menſes perduravit ea lege, ut ſi quando urina fiebat clarior, pallentiorque, aut minus copioſa, æger novis, licet tolerabilioribus artuum tormentis vexaretur.

Cumque ad hanc promovendam omnis cura intenderetur ita, ut illius craſſitiei, acredinique, unde meatus urinarii interdum opplebantur, conſtringebanturque, depellendæ, lenia diuretica, ſerumque lactis ſubacidulum, emollientiaque enemata crebrius

ingeſta

ingesta adhiberentur, factum est, ut non modo ab acutissimo morbo viginti dierum spatio is liberaretur, sed etiam deinde per ingentem illam urinæ defluxionem integerrime consanesceret.

§. LVI.

Hujuscemodi ergo miliaria ex eo crisium genere dicemus esse, quas Alpinus vocat duplices, multiplices, compositas, quales illæ quoque sunt, de quibus Hippocrates: (z) „ Si ex naribus sanguis profluxerit, solvitur affectio, atque si sudores judicatorii legitimi obvenerint cum urinis albis & crassis, & levibus sedimentis: & si abscessus aliquis fiat, quemadmodum judicatus fuit Meton (aa) & Galeno teste

 (bb)

(z) Lib. de vict. Rat. in morb. acut. pag. 396. Nro. 20. Edit. Foës.

(aa) Lib. I. de morb. vulg. ægrot. VII. pag. 983.

(bb) alter, qui poſtquam tredecim diebus acuta febre deliraſſet, ſanguine & ſudore convaluit. Sic eodem referente Hippocrate ſoluti ſunt morbo. Mulier (cc) trimeſtri fœtu gravida, quæ in litore habitabat vomitu, & ſudore: ille, qui in Dealcis horto decumbebat (dd) alvi pituitoſa copioſa fluxione, copioſoque ſudore: Anaxion (ee) ſputis multis ac ſudore: Nicodemus (ff) urina multa alba, in qua multa ſubſidebant, ſudoreque copioſo: & mulier moroſa in Thaſo (gg) ſudore, atque menſibus erumpentibus. Nec neceſſe eſt, ut ad ægros ſanandos eruptio iſta contingat. Nam, ſi ſub iſtorum morbo-

(bb) Lib. II. de motu muſculor.
(cc) Lib. I. de morb. vulg. ægrot. XIII. pag. 990. edit. Foës.
(dd) Lib. III. de morb. vulg. ægrot. III. pag. 1066.
(ee) Ibid. ægrot. VIII. pag. 1104.
(ff) Ibid. ægrot. X. pag. 1108.
(gg) Ibid. ægrot. XI.

borum initia, ut pluries animadvertimus, congrua ſanguinis portio per venam crebrius dematur, & ubi præſertim adeſt febris cum maxima inflammatione, exhibeatur largiſſime potus interdiu e lenioribus præcipue diureticis, utpote lactis ſerum eſt, in quo radicis graminis, althææ, aliarumque portio efferbuerit, ſub noctem vero ex emulſionibus blandis cum nitro, vix unquam ullius generis exanthemata emergunt, eo quod remedia, quæ memoravimus, abundatiorem urinam cient.

§. LVII.

Itaque, ſi ea prodeunt, propterea quod in tempore hæc curationis ratio adhiberi non potuit, habebuntur ne critica? non arbitror: nam quis quæſo in aliis morbis ſalutares criſes, puta ſudorem, ſputum, urinæ, aut

ſanguinis profluvium criticum ſine ægri ſummo vitæ periculo cohibere valet? Quapropter a veritate non aberabimus, ſi dicemus miliarium eruptionem eſſe haud ſemper morbi ſalutarem, criticamque excretionem.

At pluries hujuſcemodi exanthemata effloruerunt etiam ſine febri: quis hoc ignorat? At num ideo appellanda ſunt critica? Critica igitur erit chronica illa purpura ſcorbutica, quæ ad plures annos protrahitur. At quis Medicorum non irrideret hominem ita ſentientem? Quem enim latet, cutaneam hanc eruptionem ideo fieri, propterea quod ſæpenumero cruoris compagini tanta eſt quaſi cauſtica acredo inſerta, ut & ſanguinem ſolvat, ſeroſioremque reddat, & una cum ſero & lympha ad inſenſibilia uſque cutis vaſa per canaliculorum ſeriem feratur, &

cutim

cutim epidermidemque ipſam non tantum corrodat, ſed & penitus, quemadmodum in variis ſcabiei ſpeciebus obſervatur, comburat? Nec diverſa eſt ratio cum ſanctoriana perſpiratio cohibetur, repente ex aëris liberioris exceptione, præcipue, dum corpus adhuc calet, vel vaſa cutis poſt diuturniores morbos, præ nimio ſudore laxata ſunt. Nil enim facilius in quamplurimis corporibus, quibus ſenſibiliſſima eſt cutis ſtructura, ac e frigoris appulſu criſpatio, inde humoribus ferventibus, rubor, quem purpurea quædam efflorescentia conſequatur.

Quod ergo & morbi reliquiæ, & ſanctoriana perſpiratio repreſſa valent præſtare, non video, cur præſtare non poſſit in acutis quibusdam morbis morboſa materies, dum moliente inperfectam criſim natura, novus febri-

lis æstus irumpit. At quid inde? Num, quæ apparent exanthemata malignam morbi indolem detegunt, quod ad crisim esset necessarium, an potius indicant delitescens adhuc in corpore quid acris tetræque colluviei, præsertim cum sedulus vigilansque artifex, si opportune ducat alvum, eruptionem prorsus impediat, quin & jam efflorentem dissipet sine noxa?

§. LVIII.

Nobilem adolescentem variolis, quæ eum pessime mulctaverant vix exsiccatis, inopinato febris deliriis prægressis invasit, postquam miliaria rubra, & alba sensim in toto corpore comparuere. Urinæ nihil laudabile deponentes, decolores erant; & febri continua acuta invalescente, æger indies desipiebat magis. Ad hunc advocati,

cati, cum audivimus, ipſum alvi beneficio tam variolarum tempore, quam deinceps caruiſſe, propterea quod nefas habitum fuerat Chaldaicæ ſex ſeptimanarum ſuperſtitioni contraire, dubitavimus de ægri ſorte. Nec enim boni quid ſperare poteramus e morbo, qui ab alvo ſuppuratoriæ præſertim febris tempore conſtricta repetendus erat. Etenim, ſi tunc cum efferveſcentibus cunctis humoribus tetra ea colluvies, quæ per alvum depelli debet, retinetur, eo quod inteſtina flatibus, ſaburraque diſtendantur, excretoriæ eorum glandulæ comprimantur, in promptu eſt, ut illa in ſanguinis torrentem recipiatur, febrem cieat, exanthemata propellat, corrumpensque interanea viſcera, effuſiones humorum, ſuppurationes, gangrænas efficiat, &

ſæpe

ſæpe inopinam mortem, ut adoleſcenti noſtro doluimus, contigiſſe.

Quid igitur prohibet, quominus neglecta hiſce in caſibus opinione de ſemper critica miliarium puſtularum natura temporius ſanguinis detractionibus, alvique ſubductionibus, prout res poſtulare videatur, tot, tamque funeſtas turbas antevertamus?

§. LIX.

Neque ſolum in ſecunda variolarum febre, de qua Freindius, Meadiusque perdocte diſputarunt, locus purgationi eſt. Nam in diſcretis ipſis id facere neceſſe eſt aliquando: cum nempe craſſiora præprimis infantum corpora ingens variolarum copia occupat, vel magna earum ſuppuratio fit, alioquin periculum eſt, ne præter omnium expectationem tabes oriatur.

Ad

Adſtitimus nuper virgini novendecim annorum, quæ quoniam variolis ſatis quidem diſtinctis copioſe referta erat, febrique agitabatur vehementi, ingentem ſuppurationem paſſa eſt. Obſtipata cum ingruente ſuppuratione eſſet illi alvus, ad emollientiſſima enemata confugimus; quin & ſuppuratione peracta illam frequentiori potu ſeri Tamarindinati additis ſale polychreſto, & ſyrupo roſarum ſolutivo leniter duximus ad puſtularum exſiccationem uſque, pauloque ulterius. Quo factum eſt, ut ægra ingenti tam putridæ colluviei, quam puris copia detracta, reſtitueretur, nullis prorſus interius ſuperſtitibus morbi reliquiis.

Quod ſi omiſiſſemus alvum ſolvere, quid a tanta putredine expectan-

dum

dum nobis fuisset? nisi viscerum corruptio vel subita, vel lenta, quæ ægros, ut pluries vidimus, miserabiliter depastos prosternit, ac tandem spiritu, quem vix trahunt, orbat.

Quotiescunque igitur in febribus sive acutis, sive variolosis, sive miliaribus sese produnt latentis in interaneis materiei indicia, tanta est purgationum utilitas, ut per eas funesta cæteroquin symptomata vel antevertantur, vel dissipentur, reddaturque eo perfectior crisis, quo colluvies abundantius fuerit ex intestinis protrusa. In cujus præcepti confirmationem lætor, posse me Illustrissimi Præsidis nostri van Swietenii gravissima verba adducere: is enim in elaboratissimis celebratisque suis Commentariis ita loquitur. (hh)

„ Præ-

(hh) Tom. II. De cognos. & curand. morb. De Febrib. in genere §. 723. de exanthem. febril. pag. 398.

„ Præterea docent obſervata, quan-
„ doque illud, quod pruritus & ex-
„ anthemata facit, hærere in ventri-
„ culo & circa præcordia; atque hoc
„ excuſſo ſtatim iſta evaneſcere. Dum
„ mala fortuna venenatum mytulum
„ quis devoravit, ſumma ſequitur,
„ nunc citius, nunc ſerius, anxietas;
„ & paulo poſt cum pruritu ſummo
„ tota fere corporis cutis exanthema-
„ tibus obſidetur; dato vitriolo albo,
„ vel ſimili alio emetico, quod ilico
„ vomitum facit, dum deglutium eſt,
„ ſi excutiantur contenta ventriculo,
„ evaneſcunt brevi una cum anxietate
„ hæ efflorescentiæ: neque credibile
„ videtur, venenatam illam acrimo-
„ niam, ſanguini miſtam, ad cutim
„ delatam fuiſſe, cum poſt vomitum
„ ilico ceſſent omnia mala. Novi ho-
„ minem, cui illico eadem ſympto-

„ ma-

„ mata contingunt, si lapides cancro-
„ rum sumserit; cessantia pariter, dum
„ vomitu hos rejecerit. An forte in
„ febribus, collectis circa præcordia
„ malignis talibus sordibus, quando-
„ que exanthemata prodeunt? certe
„ mihi talia in morbis curandis oc-
„ currerunt, quæ huic opinioni fave-
„ re videbantur, dum nempe sursum
„ vel deorsum, sponte vel arte, detur-
„ batis his sordibus, evanescebant hæc
„ exanthemata. In *Sileno* jam a prima
„ die febris acutæ alvo prodibant bi-
„ liosa sincera spumosa, dein tenuia
„ & nigricantia. Sexta die alvus sup-
„ pressa fuit. Octava die exanthema-
„ ta parva rubra rotunda proruperunt.
„ Forte collecta circa præcordia ma-
„ teria, quæ ante alvo exibat, & per
„ morbum adhuc pejor reddita. No-

„ tat

„ notat enim *Hippocrates*, a principio „ morbi ad finem usque continuam „ hypochondrii palpitationem adfuisse. „ *Anxiis alvi turbatæ suppressio, brevi ve-* „ *lut culicum puncturæ efflorescunt &c.* „ *Puriginosæ affectiones omnibus nigrorum* „ *dejectionem significant, & vomitum gru-* „ *mosum.* Ex quibus omnibus conclu- „ dere licet, & ad has exanthematum „ causas attendendum esse.

§. LX.

Atque ita certum est, posse ab artificibus non solum sanguinis missione, purgantibusque, sed & alia quacunque vacuatione inhiberi prorsus, ne hujuscemodi exanthemata prodeant. Cui rei indubiam fidem faciunt febres illæ rheumaticæ pleuritidem spuriam peripneumoniamque simulantes, quæ duodecim abhinc annis non modo hac in

urbe, ſed & in conterminis locis mortales plures neci dederunt. Nam cum tempeſtas eſſet circa hyemem humidior, & aër repentino frigore condenſaretur, ii præcipue, quibus humores erant tenaciores ſeroſi, lymphaticique inciderunt in febres rheumaticas catarrhalesque cum dolore accutiſſimo coſtas utplurimum perſtringente. Et quamvis hujuſcemodi febres primo morbi tempore leviores videbantur, nihilominus haud multo poſt tota ſanguinis compage coacta inflammataque in acutas prorſus, lethaleſque degenerabant. In iis vero quid erat ſingulare: nam ſanguinis detractione quam maxime lædebantur craſſiora præprimis corpora, cum contra eam ferrent illa, quæ ſanguine ſcatebant, ubi febris ingens cum peripneumoniæ notis conjuncta aderat.

Plerisque vero, etsi secta aliquoties vena, ex qua sanguis crassus in massam larido flavo similem protinus se cogens, promanabat, nisi sudores diluentibus antiphlogisticisque magna copia ingestis, provocarentur, aut vesicantia ad summum tertio, vel quarto morbi die suris applicarentur, (per quæ magna puris quantitas ex ulceribus concitatis movebatur) miliaria vel primis morbi diebus utplurimum alba sæpenumero lethum indicantia totum quasi corpus obruebant; quibus tamen ægri non levabantur, nisi postquam sudor copiosus, urinæ sedimento plurimo imbutæ, & quandoque, etsi rarius, sputum supervenissent: hoc enim pacto ad vigesimum judicabantur; quod si propinatis tempore potionibus diluentibus sudor vel leviter erumpebat, miliaria rarius apparebant.

Quin hæc prorſus aberant, ſi poſt emiſſam congruam ſanguinis portionem, dolore non declinante, nec manante ſudore, veſicantia opportune applicabantur: nam tunc excitatis pure ex ulcere, & e toto corpore ſudoribus; ægri ſaneſcebant, dummodo veſicatoriorum applicatio dilata non fuiſſet ultra quartum morbi diem. Etenim lympha craſſa, tenaciſſimaque in propriis ſuis vaſculis coacta ſanguinem vel lente difficileque permeabat, vel diluere ſatis non poterat: hinc inflammatoria ſpiſſitudo non modo in vaſis ſeroſis, lymphaticisque, ſed & in ſanguiferis, quoniam cruor perquam neceſſario ſeri, lymphæque vehiculo deſtitutus ſpiſſeſcit, oriebatur.

Quapropter ſtatim ac ſanguinis denſitas detractione diminuebatur, & ſtimulatis cantharidum vi fibrilis tenaces,

&

& ad coactionem proni humores agebantur in gyrum, inertiores vero per ulcera arte concitata evocabantur, inflammatio vel præpediebatur, vel pure ex iisdem ulceribus moto, solvebatur. Cohibita itaque isthoc pacto inflammatione, putredineque, nec poterat exanthematum coagmentationi esse locus, nec crisis, nisi perfecta promoveri.

§. LXI.

At, ne cui id, quod de vesicantium hisce in casibus necessitate diximus, sit fraudi, (observavimus quippe pluries ea minus recte administrari) existimamus fore Tironibus gratum, si de recto eorum usu summatim differamus.

Ait Baglivius, cujus in re medica non parva est auctoritas: (hh) „ in

 „ vesi-

(hh) Differt. VII. de usu & abus. vesicant. cap. II. §. 1. pag. 423.

„ veſicantium uſu maximam adhiben-
„ dam eſſe cautionem, ne indiſcrimi-
„ natim præſcribantur quolibet anni
„ tempore, cuilibet ætati, tempera-
„ mento, habitui corporis quibuslibet
„ morbis, ut Galenici conſueverunt,
„ ſed duntaxat, dum neceſſitas urget,
„ aliter mala quamplurima ægrotanti-
„ bus ſupervenient, ſi debitis non ad-
„ hibitis cautionibus applicentur, quæ
„ quidem mala rudes Medici tribuere
„ ſtatim ſolent deleteriæ & pravæ, ut
„ ajunt remedii naturæ; non vero er-
„ roneis indicationibus, quibus illud
„ præſcripſerunt.

Et recte: experientia enim nos docuit, ea eſſe ut plurimum noxia, ubi convulſiones ægrum jam diſtorſerunt, vel futuræ pervidentur, præſertim, ſi febris eſt intenſa, habitus corporis gracilior, vigiliæ præceſſerunt, corpusque

que eſt admodum exinanitum debilitatumque.

§. LXII.

Aſt, nec in febribus ardentibus & continuis, in quibus magnus eſt humorum attritus, unde ſumma viſcerum inflammatio pertimeſcenda eſt, neque in nervorum affectionibus, ubi hi præcipue ex facili convelluntur, ſunt opportuna. Etenim ſtimulans cantharidum vis ſanguinis agitationem auget; imo proritatis nimium nervis, deliria, ipſasque convulſiones concitat. Vidimus enim haud raro hominibus delirantibus, febrique acutiſſima laborantibus, exanthematibusque refertiſſimis, quibus, eo quod deſipuerant, applicita fuerant veſicantia primum utrique cruri, tum delirio invaleſcente femoribus, brachiisque, accidiſſe, ut febri reddita ardentiſſima,

ſubortisque Diſchuria, Iſchuriaque, vehementibusque in toto corpore convulſionibus cogerentur veluti excarnificati animam miſere agere.

Etenim hujuscemodi ægroti ante extremum mortis articulum vultum mire convulſum, & hominum ſtrangulatorum faciei ſimillimum habent, tum poſt mortem liveſcunt, atque ut plurimum luſtratis diſſecto cadavere viſceribus gangræna affectos periiſſe, conſpicitur.

§. LXIII.

Neque verum eſt id, quod forte ad multiplicanda veſicatoria impellit aliquos, revelli nempe eorum ope a capite materiam morboſam, & ad cutis extrema propelli, quo fiat, ut deliria ceſſent: nam, ut animadvertit Baglivius (ii) veſicantia interdum ob inſignem

(ii) Ibid. pag. 425.

ſignem, quem excitant dolorem, delirium jam factum adaugent, imminens vero accelerant.

Abſtinendum quoque ab iis eſt, cum nervi vel affecti ſunt, vel ad irritationem ſunt proni, ne vel leviſſima vellicatione diſtendantur, convellanturque, admonente prudentiſſime Hoffmanno, qui ita loquitur. (kk) „De„inceps ubicunque totum genus ner„voſum vehementibus jam agitatur „ſpasmis, ut fit in febribus acutis præ„ſertim & inflammatoriis, & cauſa „exorbitantium horum motuum non „tam craſſa & materialis, quam po„tius tenuis, atque ſubtilis, ubi vi„giliæ aſſiduæ, & deliria adſunt, eli-

(kk) In opuſcul. medic. practic. in quo curam morborum & medendi methodum, nec non circumſpectum remediorum uſum exponit Diſſert. XIX. De veſicant. & fonticulor. circumſpecto in medicina uſu pag. 264. No. 17.

„ minent, ſumma inquietudo, corpo-
„ ris jactatio, & præcordiorum anxie-
„ tates urgent, multo magis, ſi acce-
„ dunt tendinum ſubſultus, & convul-
„ ſiones, veſicantia penitus abſint.
„ Nam nihil certius, quam, ut admo-
„ tis his, quæ nervoſas partes ad ſpa-
„ ſticas ſtricturas magis exſtimulant,
„ nec tamen cauſam tollunt, motuum
„ impetus & anomalia cum irrepara-
„ bili damno longe magis increſcat, &
„ plane lethales conſequantur con-
„ vulſiones.

§. LXIV.

Sed in macilentis, & gracilioribus corporibus cautus veſicantium uſus eſſe debet, quoniam ex his convulſio, febrisque exacerbatio fit, imo docente Baglivio & gangræna, & mictus ſanguinei, & ardores urinæ, aliave veſi-

cæ

cæ mala frequenter concitantur: unde in gracili corporis habitu, in calido, & ſicco temperamento, præſertim æſtivo tempore ſub ardore caniculæ ea ſolent eſſe peſtifera (11).

Inutilia pariter ſunt fere omnibus, quos delirium tenet: nam ſi delirium ortum ducit ab inflammatione, ea peſſima ſymptomata inducunt, quæ diximus, ſi vero aliunde quandoquidem vix fieri poteſt, quin adſit aliqua fibrillarum cerebri irritatio, cantharidum exſtimulans vis convulſiones aucto humorum circuitu nequit non accerſere.

§. LXV.

Cavendum itaque frequentiſſimum illud peccatum, quod committitur, ubi cuilibet febrium ſpeciei, dummodo illæ periculoſæ videantur, veſicantia

(11) Bagliv. de veſicant. uſu §. 3. pag. 424.

tia non ſine magno febricitantium dam-
no applicantur. Semper enim ad fe-
brium claſſes attendendum eſt; nam
aliæ acutæ, & inflammatoriæ ſunt, aliæ
vero malignæ. In acutis ſimpliciter
& inflammatoriis, excepta pleuritide
& peripneumonia, ubi & ſputum ob
virium defectum non facile extunditur,
& ob magnum humorum tenacium
copiam bronchiis pulmonum inhære-
ſcentem adeſt ſpirandi difficultas, ne-
mo erit, qui ſine piaculo veſicatoriis
utetur: Heurnius enim, licet alias ve-
ſicantium uſum collaudet, in acutis ta-
men morbis vetat, eſſe admovenda;
Aetius vero tradidit, ſe in calidis, ſic-
cisque affectionibus abſtinuiſſe a veſi-
cantibus.

§. LXVI.

In febribus vero malignis, diſcer-
nendum eſt cujus generis eæ ſint: nam
ſi

ſi ex iis ſunt, ubi ſanguis ob ſummam denſitatem coit, veſicantia proſunt, utpote quæ diſſolvendo ſunt apta. Aſt, ubi ingens eſt humorum colliquatio, ita ut quidquid eſt humidum qua data porta effluat, perniciosiſſima eſſe Medici omnes conſentiunt. Ut itaque omnis error præcaveatur, deſignare juvat hujuscemodi febrium notas.

Quæ ergo e coagulo ſunt, dignoſcuntur e calore mitiori, e cutis, aut extremorum refrigeratione, pulſu parvo, cordis anguſtiis, petechiis, linguæ ariditate, ad ſomnum propenſione. Alias, quæ ex diſſolutione ſunt, produnt, ſummus circa initia corporis æſtus, movens ſudores continuos, pellens urinas colliquativas, vel ſanguinis effuſiones, vel ſtillas e naribus, producensque virium proſtrationes, ſyncopes, convulſiones: atque hæc adhibendo-

rum

rum in febribus, vel amovendorum veſicantium ſigna ſunto.

§. LXVII.

Jam vero, ne quid ambiguitatis creet id, quod ſuperius diximus de eorum noxa in plerisque deliriis, juvat in rem diligentius inquirere. Et quidem certum eſt, ſoporem, qui acutas, inflammatoriasque febres interdum comitatur, ſolvi utplurimum per copioſam alvi dejectionem, quemadmodum Divus ſenex adnotavit. Nam a Pythonis filio (mm) magna febre cum ingenti in ſomnum propenſione detento, excuſſus fuit ſopor, poſtquam bilioſa eruperunt.

En ejus verba: „In Pela Pythonis
„ filius confeſtim multum febricitare
„ cepit, cum magna in ſomnum pro-
„ pen-

(mm) De morb. vulg. Lib. VII. pag. 1239. No. 128. edit. Foës.

„ penſione, cum vocis defectione ſomni fiebant, alvusque toto tempore dura erat. Glande vero ex felle ſuppoſita, multa dejiciebat, ſtatimque remittebat. Celeriter autem alvus rurſus intumeſcebat, febris ingraveſcebat, eademque in ſomnum propenſio perſeverabat. Eodem autem rei ſtatu exhibitum eſt aliquid medicamenti ex his, quæ Carthamum & Cucumerem agreſtem, & Meconium recipiunt, bilioſa eruperunt, confertimque ſopor ceſſavit, febris miteſcebat, cunctaque allevata ſunt, & decimo quarto die judicio eſt abſolutus.

Et in Coacis: (nn) „Sopore, laſſitudine, ac ſurditate tentatos alvus erumpens, & ad judicationem rubra demittens, juvat.

At

(nn) Coac. Prænot. pag. 147. Nro. 182. edit. Foës.

At quamvis hæc eſt via illa, quam in ſopore diſcutiendo natura inſiſtit utplurimum, unde videri poteſt, Medicum cantharidibus prætermiſſis ad purgantia animum debere advertere, nihilominus generatim id verum non eſt. Sopor enim non efficitur ab una ſolaque cauſa, ideoque variis inter ſeque contrariis medicaminibus locum dat. Omnis ergo artificis cura in eo poſita eſſe debet, ut diligenter exploret cujusmodi ſit cauſſa illa, quæ ægrum, cui adſtat, reddit veternoſum.

Si itaque fibræ nervoſæ conſtrictæ ſunt, exſuccæ, tenſæ, quod intenſiſſimus febrilis calor, totiusque corporis ariditas manifeſtant, ſi cerebri menynges inflammatæ ſunt, ſopor, qui inde oritur, ita refugit veſicantia, ut nihil poſſit iis ad ægrum peſſumdandum eſſe efficacius.

Si

Si vero acciti veterni, deliriique caussa, par enim utriusque est ratio, sit vel morbosæ materiæ ad cerebrum metastasis, vel humorum viscosus, tenax, immeabilis, & in cerebri vasculis stagnans lentor, unde sensus omnes quasi offuscantur, & apoplexia pituitosa serosave videtur instare, quod in phlegmaticis, ut vocant temperamentis e vultus pallore, e pulsibus exilibus, e pallentibus urinis, e corporis frigiditate, & ad motum inertia, ex anxietate deprehenditur, tunc admovendas audacter ad vesicantia manus esse docent & Cantharidum natura, & præstantiorum Professorum auctoritas, & quotidiana experimenta.

§. LXVIII.

Etenim id muscarum genus mordicantem, adurentemque quamdam

vim habet, quæ tum in nerveas, tum in fluidas humani corporis partes sese potenter exerit. Nam, si eæ deglutiantur, ut quibusdam vel imprudenter, vel ad sopitum, pessumdatumve veneris oestrum suscitandum accidit, vel in venas injiciantur, corpus totum, atque præ cæteris vesicam, renes, circumque jacentes partes vellicant, proritant, dilacerant, exulcerant, destruunt: tum sanguinem, ut e Baglivii Hoffmannique experimentis constat, solvunt, inflammant, redduntque prorsus fluxilem; unde & urina, & sudor, & mictio tandem sanguinea, & gangræna, & sphacelus consequuntur. Quin vero effectus hos præstent, dum exterius applicitæ per patulos cutis poros interiora permeant, dubitari non potest. Quid igitur præstare unquam

possunt,

possunt, ubi sanguis sponte sua vergit ad inflammationem, nisi, ut hanc tanto citius importent, quanto copiosius, sollicititiusque importune sedulus Medicus hujuscemodi corpori eas admoveat?

At contra quid non boni efficient, cum ab arte expectatur, ut glutinosa humorum coagmentatio disjiciatur? Nam præterquam quod eæ particulæ, quæ a cutaneis vasis absorbentur actæ cum reliquo sanguine in gyrum perrumpunt, extricantque concretiones, in quas impegerint, cur non, ut elegantia Rotundii (oo) verba usurpemus, „credibile videri cuipiam possit, cutim, quæ veluti circumductus universo corpori tendo est, cantharidum morsu, atque irritamento

 „cir-

(oo) De victus ratione in febr. acut. Part. III. pag. 126.

„ circumquaque vibratam, tentamque
„ ſubditas arterias, venas, nerveasque
„ ambages arctius amplecti, qua preſ-
„ ſione expeditis canaliculis, expreſ-
„ ſisque particulis minus congruis æ-
„ quabilem ſanguini reſtitui circui-
„ tum, homini ſanitatem, cum quæ
„ urticis apud noſtrates, quæque can-
„ dentibus affrictis corpori ferramen-
„ tis apud nationes quasdam barbaras
„ utiliter, & pro voto curatio fit, non
„ alia fortaſſe nitatur ratione?

Atque hinc intelligitur, quare cum Septalio, Hercule Saxonia, Severino, Hollerio Baglivius, Hoffmannusque, quorum de veſicantibus Diſputationes conſulo, ut a Tironibus attente legantur, cenſuerint hujuscemodi auxilio locum eſſe in febribus malignis, quæ e coagulatione, viſciditateque ſunt; in ſoporoſis affectionibus, apoplexiaque

lenta

lenta, & ſeroſa, qua ſenes ſolent pertentari; in catarrhoſis defluxionibus, a quibus pulmoni, naribus, oculis, faucibus, pectori periculum inſtat; in capitis doloribus non a febre, ſed a viſcido humore ortis; in doloribus arthriticis, rheumaticis, iſchiadicis, odontalgicis, dummodo vel corpus plethora non turgeat, vel febris non ſit acuta. In febre petechiali; in pleuritide, pulmonumque morbis, ſi habitus corporis craſſior eſt, & quinto, vel ſeptimo magna, periculoſaque conſpiciatur ſpirandi, excreandique difficultas; in morbis cutaneis; in doloribus vagis; in convulſionibus ſine febre, in epilepſia, nervorumque morbis, quos vel plethora, vel humor acer non gignit; in aſthmate ſpasmodico - convulſivo a podagricæ materiæ repulſione excita-

 to;

to; in ophtalmia quotiescunque & corpus e prudenti Boerhaavii, Maitre-Jean, & Saint-Ives monito fuerit venæ ſectionibus, purgationibusque exinanitum, & veſicantia non continuo nuchæ, ut quandoque fit, ſed pedibus admoveantur; denique quandocunque ſolvere, divellere, derivare, excitare, revellere, attrahere, evacuare opus fuerit: idque habita ſemper ratione loci, anni, temporis, temperamenti.

Etenim, ut phlegmaticis cum viris, tum etſi cautiſſime propter uteri irritabilem naturam mulieribus Septentrionales noſtras oras incolentibus, hyeme præſertim proſunt, ſic populis ad meridiem poſitis, ſeu natura, vitiove exſuccis, dumque ſol fervet, ſunt haud raro mortifera. Adhibeaturque inſuper ea quoque cautio, ut quæ tantum

ſtimu-

ſtimulare debent, apponantur ſenſilioribus corporis partibus, nuchæ, collo, pone aures, carpis, genubus: nam ſi febris fervet, ſi pulſus ſunt celeres, ſi medendum eſt paroxysmis periodicis convulſivis epilepticis, præferendæ ſunt ſuræ, & ſatis remote ab iis membris, quæ ſunt vel inflammata, vel dolore, ſpasmo, ulcere, affecta: licet in pleuritide quibusdam in more ſit parti ipſi affectæ ea applicare.

§. LXIX.

Neque illud negligatur, quod frequentius obſervavimus: ſolere nempe haud raro febribus, calore, deliriis, anxietate ſtipatis ita opitulari venæ ſectiones, alvique, ſi opus fuerit, purgationes, ut ſymptomata decreſcant, peccansque materies aut ad exteriora

pellatur, aut probe concocta per statuta recrementis excernendis emunctoria eliminetur. Nam, si quis in iis præsertim febribus acutissimis inflammatoriis, in quibus tanta est cruoris compages, ut is pulmonis, cerebrique vascula subire nequeat, manum vesicantibus, intentata prius venæ sectione, purgationeve, admovet, metuere debet, ne sanguinem ad vasa cerebri pellendo cephalalgiam, veternum, lethargum, apoplexiamque ipsam, quæ in hujuscemodi casibus solent sponte advenire, sollicitet.

Quæ cautiones, etsi videntur non posse cuicunque ad ægrorum lectulos vel accedenti non occurrere, intactas nihilominus ideo noluimus, propterea quod vidimus eas acutissimam præstantium Artificum Freindii, Rotundii-

que

que, quam cæteroqui magni facimus, aciem effugisse. Hic enim ita loquitur, etsi subobscure, ut videatur existimasse vesicatoria locum posse habere quocunque in morbo cuicuimodi ejus esset caussa.

Freindius vero aperte docet, (pp) in eo percuriosius non esse inhærendum, ut vesicatoria semper ad ægroti habitum aptentur, eo quod quæcunque fuerit corporis constitutio utcunque sive bile, sive tenui sanguine fervidior, sive febris ultra modum sævierit, levia incommoda tanti non esse vult, ut de vita interim ipsa non simus solliciti; nam ait, in podagricæ ad cerebrum metastasi cum febri, in variolis, morbillis, febre sive scarla-

tina,

(pp) De Febribus Commentar. IX. de Vesicant. quæ Canthar. recipiunt pag. 63.


tina, ſive eryſipelatoſa, profuiſſe. Unde pronunciat, audiendos eos non eſſe, qui vetant, ne in affectionibus nervoſis, febribus ardentibus, & continuis, etiamſi ſopor, aut delirium acceſſerint, apponantur. Quod tanto viro excidiſſe certe miror.

§. LXX.

Atque hæc ſunto, quæ de natura, effectibus, curationeque miliarium dicenda cenſuimus, non quidem, ut exercitatis Artificibus quid novi offerremus, ſed, ut iis, qui artem aggrediuntur præſto eſſet ratio, qua in periculoſo, ancipitique iſthoc morbo ſeſe gererent. Quod eo confidentius auſi ſumus, propterea quod animadvertimus multiplicem morbi hujus naturam non fuiſſe hactenus ſatis diſcriminatam, cum

ex iis, quos de hac re novimus ſcripſiſſe neminem reperimus, qui vel adnotarit, vel dilucide expoſuerit id miliarium exanthematum genus, quod cum liceat prorſus negligere eo quod morbum nec lenit, nec aggravat, appellari forte poſſet ambiguum.

Cæterum rogamus obteſtamurque artis noſtræ Antiſtites, ut ſi hac in opella reperiant quid minus recte diligenterque prolatum, præſto nobis artique ſint. Cum enim ſuprema lex, quam in medicina faciunda præ oculis habemus, ſit ſalus populi, excipiemus pacato gratoque animo emendationes cujuscunque, quo poſſimus quam cumulatiſſime expectationi hominum, qui opem noſtram implorant, ſatisfacere.

ERRATA.

Pag.	Lin.	Lege
9	11. idoles - -	indoles
20	5. ſuſcipio -	ſuſpicio
38	1. hac -	hæ
Ibid.	2. ex ſerunt	exſerunt
54	15. Necſſariis	Neceſſariis
56	9. affere - -	afferre
63	18. ubii -	ubi
67	15. intoerabilis -	intolerabilis
73	14. repetitas que -	repetitasque
77	10. ſiebat -	- fiebat
81	10. dexterimus -	dexterrimus
94	16. intumuſcentibus	intumeſcentibus
100	11. tranctandis -	tractandis
102	9. creba -	crebra
108	1. Poſtquæ - -	Poſt quæ
136	8. exanthematha	exanthemata
141	17. intetius - -	interius
143	13. deglutium	deglutitum